



Staats- und  
Universitätsbibliothek  
Bremen

# **Staats- und Universitätsbibliothek Bremen**

**Digitale Sammlungen**

**Bibliotheca Historico-Philologico-Theologica Classis ...**

Fasc. 5

**Brauer, Hermann Brauer, Hermann**

**Bremen, 1723**

**urn:nbn:de:gbv:46:1-5931**

# BIBLIOTHECA

*Historico - Philologico-*

## THEOLOGICA.

*Classis Sextae*

### FASCICULUS QUINTUS.



*BREMÆ,*

---

Sumptibus JOHANNIS ANDREÆ GRIMMII

---

Typis HERMANNI BRAUERI, M D CC XXIII.

V I R O

*excellentissimo, gravissimo  
ac doctissimo*

J A C O B O  
FRIDERICO  
REIMMANNO,

Ecclesiarum *HILDESI-  
ENSIUM* Superintendenti, Consi-  
storii Sacri Adfessori primario, &  
Gymnasii Andreani, aequae ac  
Scholae Neo - Hildesienfis Lam-  
bertanae Ephoro dignissimo,  
meritissimoque,

Omnibus elegantissimae doctrinae  
praefidiis atque ornamentis  
instructissimo,

& non unis in rem literariam meritis  
incluto

*Quintum hunc supra tricesimum*

# BIBLIOTHECAE

H V J V S

## FASCICVLVM,

sacratum nuncupatumq;  
esse volo, singularis mei in  
eum studii, cultusque pu-  
blicum interpretem,

DEVM rogans, ut omnia ei fausta,  
felicia, & fortunata esse  
jubeat,

quodiu & ecclesiae, & literis prodesse,  
& hoc quoque institutum amplificare, atque  
insigniter ornare cum possit,  
tum velit;

EDITOR.

Argumentum hujus Fasciculi.

- I. Jacobi HASAEI animadversiones ad testimonia de MOSE ejusque *Pentateucho* ab Ill. HUETIO collecta p. 769.
- II. Jacobi Friderici REIMMANNI specimen lexicæ paradoxologici, in quo paradoxa de ATHEIS sistuntur, p. 796.
- III. Petri ZORNII de *Cœlesti epulo sapientiae* ad locum Prov. IX: 2, 3. dissertatiuncula p. 808.
- IV. G. OUTHOVII de *Messiae principatu super humerum ejus* ad Es. IX: 5, diff. p. 824.
- V. Jo. STENGELII de *Causa Christi pro curatione Paralytici Sabbathica* dicta Joh. VII: 21, 22, 23. Observ. p. 956.
- VI. Isebrandi Eilhardi HARCKENROTHII dissertatio de *Monte sublimi*, in quo Christus a Satana tentatus legitur Matth. IV: 8. p. 969.
- VII. Theodori HASAEI de eodem monte observatio p. 990.
- VIII. Huldrici ZVINGLII binæ ad J. Oecolampadii epistolæ ineditæ, p. 1005.
- IX. Urbani REGII ad Wolffg. Ryhardum & Ambr. Blaurerum Epistolarum triga p. 1015.
- X. J. C. HARRENBURGII de *Ovis paschalibus* (*Oster-Eyern*) commentatio p. 1027.
- XI. Job. Christ. BIEL, de *Levi, Juda Thaddæo* observatiuncula. p. 1038.

EDITOR



Christo Duce & auspice  
Christo.!

I.

JACOBI HASAEI,

Exercitatio,

qua

Animadversiones ad testimonia  
omnium gentium & aetatum de MOSE, ejusque  
PENTATEVCHO ad ejus *synonymas* com-  
probandas ab Huetio collecta  
exhibentur.

ARGUMENTUM.

Mosaicorum scriptorum *synonymas* basis sacrae histo-  
riae. §. 1. Judicium de Ill. Huetii hac de re labore  
in *Demonstratione Ev.* impensa §. 2. Item de testi-  
moniis veterum scriptorum collectis, de Mose ejus-  
que libris, nostrarumque in ea animadversionum ra-  
tiones §. 3. Docetur (A) ex hoc numero elimi-  
nandos esse (I) qui ne *per* quidem de Mose ejus-  
que scriptis meminerunt, uti (a) *Charondas* quod  
cornutus pictus. Nummus *cornutus* facie ei perperam  
Class. VI. Fasc. V.                      E e e                      tri-

tributus exhibens faciem Sileni. §. 4. (b) *Hippiacus Milesius* §. 5. (c) *Homerus* in *Homeri* libris non reconditae *sacrae Historiae* neque *Hebraizans Homerus* admittitur. §. 6. (d) *Demetrius Phalereus*. §. 7. (II) Qui de *Mundi origine* quaedam cum *Mosaicis Historiis* convenientia scripsere, sed falso haec ex *Mosis* libris hausisse traduntur, cum ex propriis haurita sint monumentis §. 8. (a) *antiquissima populorum orientalium monumenta, Aegyptiorum, Phoenicum, Chaldaeorum* §. 9. (b) aliorum historiae, quae horum fide nituntur. §. 10. (c) *Graeci*, qui quidem in orientem abierunt, sed perperam consuluisse *Mosis* scripta censentur. §. 11. (d) *Graeci & Romani* ceteri ab *Huetio* allati, quibus *Ovidius* additur. §. 12. Testimonia autem (B) certa qui *Mosis*, ejusque scriptorum mentionem fecerunt, in alium ordinem digeruntur & classem quadruplicem §. 13. Et quidem (I) qui vel (1) res a *Mose* gestas nude retulerunt, vel easdem ipsumque *Mosen* vel (1) laudarunt vel (2) vituperarunt. §. 14. Dein (II) ex quibus apparet *Mosen Legem Judaeorum* consignasse, qui & in (a) *Judaeos* & (b) *gentiles* dispescuntur §. 15. Porro (III) ex quibus apparet *Librum Mosis*, quem nunc habemus, eundem esse cum *pristino*, qui iterum digeruntur in (a) *Judaeos* eosque (1) *autores Apocryphorum Vet. Test.* (2) *alios* ejus gentis *Historicos* §. 16. & (b) *Gentiles* §. 17. Denique (IV) ex quibus apparet eundem librum ad nostram aetatem pervenisse incorruptum, ut sunt (a) *antiquae Pentateuchi versiones*, & imprimis *Alexandrina* §. 18. (b) *Pentateuchus Samaritanus* docens eum librum jam supra bis mille annos talem extitisse §. 19.

§. 1.

**E**quidem *Historiae veteris* atque *sacrorum voluminum antiquissimum*, tot aliis deperditis, conscriptum a MOSE monumentum, cum ejusmodi sit indolis & naturæ, ut ejus, tanquam *vetustissimi omnium historici*, testimonio, ceterarum rerum omnisque propemodum *priscae Historiae* innitatur fides, merito quidem eum *Historiarum patrem*, quo nomine Herodotum Tullius insignivit, salutabimus. Tum vero, quod ejus *historiarum fide* comprobata, reliquorum scriptorum *sacrorum* autoritatem defendere non usque adeo difficillimum sit; in id quoque omnes intendendi sunt nervi ingenii, quo, partim ad *historiae veteris*, partim *divinarum litterarum* corroborandam *integritatem*, *Mosaicarum Historiarum* integritatem *sartam tectamque* tueamur. Quibus parum solide *contrario fundamentis* jactis, ea quoque quæ iis *superstruuntur* (*superstruuntur autem fere omnia*) *collabascere* necesse est. Iis idcirco de *causis* nihil agi potest *tempestivius*, ac si ea, quæ ad *librorum Mosaicorum* corroborandam *fidem historicam* faciunt, diligenter *notentur*.

§. 2. Ex iis autem, qui hanc in se susceperunt operam, ut *Mosis autoritatem*, *priscaeque adeo historiae fundamentum* egregiis plane multis argumentis *adstructum* irent, nemo luculen-

tius partibus suis defunctus est, quam illustris  
 Abrincensium Episcopus **PETRUS DANIEL  
 HUETIUS**, qui ob reconditam eruditionem  
 eximiosque libros abstrusissima doctrina re-  
 fertos, quibus orbem litterarium sibi devin-  
 xit, omni laudis encomio, nedum nostro,  
 major evasit. Hoc vero præstitisse eum ma-  
 xime eruditissimo **DEMONSTRATIONIS  
 EVANGELICÆ** libro, nemo erit paulo do-  
 ctior quem fugiat, cum toties iteratis typis  
 excusum volumen, omnium manibus, ut di-  
 gnum est quidem, teratur. Verum, sicuti  
 ab omni parte beatum esse nihil, dixit ille, ita  
 quoque doctissimo huic viri undiquaque eru-  
 diti scripto, nævos suos haud deesse, vario-  
 rum ordinum eruditi, ex quo in lucem pro-  
 diit, dudum publicis documentis commone-  
 fecere. Quod qua ratione a multis partim  
 jure factum sit, partim injuria quoque, res  
 nostri nunc, ne nimis a via aberremus, non  
 erit vel investigationis, vel judicii. Optas-  
 sem tamen, quæ & plurimorum sententia est,  
 virum illustrem in eo argumento, quo  
 omnem gentilium cultum ex *Mosis libris* pro-  
 fluxisse, & omnes omnium populorum **DEOS**  
 unicum *Mosen* esse, probare annisus est, par-  
 ciores fuisse eruditionis promum, majorem-  
 que condum, quam si ulibi, hic certe nobis  
 non modio, sed plenis horreis admensus est.  
 Maluisse enim illustrem virum hac occasione  
 arrepta largissimas doctrinæ ingenique co-  
 pia

pias explicare, quam rebus ipsas evidentibus  
 argumentis satisfacere, dudum plurimi sub-  
 olfecere, ipsaque rerum tractatio quodam-  
 modo indicare videtur. Culpam quidem il-  
 lam vir summus a se depellere annititur, sua-  
 rumque demonstrationum vim evehere in  
 præfatione, quam iteratæ editioni Parisiis A.  
 cl. l. CXC. exscriptæ præmisit, sed magis  
 dictatoria oratione utitur, quam argumentis  
 eam in rem conducentibus. Quis, amabo,  
 non sentiet omnem *historicam fidem* collabasce-  
 re, & plane subruï potius, quam stabiliri a vi-  
 ro summo, si ea omnia quæ gentes de pro-  
 priis diis suis in terris gesta esse constanter  
 tradunt, illic gesta esse *negabimus*, sed nescio  
 cujus hypotheseos studio per *Mosen* acta in  
*Palestina* omnia, indeque petita esse, adfir-  
 mabimus. Certe hæc non leviuscula quadam  
 hac vel alia in re historiarum convenientia,  
 ceteris rebus millenis mirum in modum dissi-  
 dentibus, sed certioribus præsiidiis, si de-  
 monstrationum ea locum occupare cupimus,  
 comprobari oportuisset. Mihi certe illis  
 gentium Diis cum Mose intercessisse pro-  
 pinquitatis quidpiam non magis cerno, quam  
 aut *Hannibali*, aut *Tullio*, aut *Augusto*, quo-  
 rum historias eadem methodo ex *Mosis libris*  
 depromptas esse quavis pœna me dignum de-  
 putabo, nisi *eadem certitudine* evicero, si pa-  
 rallelia quædam *Historica* eaque paucarum

rerum grande adeo negotium, quo adstruat, idonea satis esse putabitur.

§. 3. Diffiteri tamen nequeo, præ cæteris documentis, quibus librorum Mosis *γυναικῶν* comprobavit vir illustris, mihi insigniter placuisse istam *omnium ætatum* de Mose ejusque *libris* testimoniorum, extra ea quæ sacris debentur litteris, collectionem Cap. II: Propos. IV. Quo sane labore Mosis ejusque scriptorum ab *omni ævo* extitisse *memoriam* in modum adstruxit *luculentissimum*. Exinde enim, ejusmodi librum quem ab omni ætate ejus, qui & nunc creditur, autoris foetum esse crediderunt veteres, ejusdem quoque *genuinum* partum esse, vix ulla disceptatione amplius in controversiam cadere posse, agnoscimus. Verum lectione hujus capituli aliquoties diversisque temporibus repetita, deprehendi vanno atque cribro usus multa *deterogeneorum* exemplis bonis intermixta esse, omnesque in censum vocatos Troem Rutulumque, Gretensem & Arabum, Lapponem cum Paphlagonem Cappadoceque, tametsi nihil unquam cum Mose, ejusque scriptis commercii vel levissimi intercefferit, nisi quod fortasse cujusdam rei, cujus & apud Mosen vocabuli mentio extat, memoriam produxerit. Proinde commodum duxi egregium illud viri argumentum, productaque testimonia ad modestius examen, quod tanti viri meritis debemus, revocare, quique spuria hac qui-

dem in re nota scriptores nullo merito in auxilium vocati sint & ex hoc numero expungendi, ostendere. *Genuina autem testimonia* dein alio loco ordineque exhibebo, quæ ut ille juxta temporum seriem haud inconcinne digessit, ita secundum testimoniorum pondera disponam, quaque ratione alterum altero in demonstranda *Pentateuchi Mosaici* veritate præstantius sit, fortiorique loco haberi possit, edisseram. Quocirca ut nos ab illiberalibus censuris styllum temperabimus, ita & alios longissime abesse cupimus a præmaturis hujusmodi judiciis, qui haud veritatis eruendæ studio hæc a nobis scripta esse, sed quod viro summo, quem impense veneramus, velle- mus adversi esse, cogitarent. Ita enim novimus per vulgatum hoc seculo eorum judicium esse, qui in alienis carpendis censendis- que tam proni sunt, quam rerum omnium, quæ ad eruditionem spectant, imperiti.

§. 4. *Scriptorum prima classis* rursus *bipartitim* dividenda erit. Notandi enim partim autores (a) quibus nihil cum *Mose* ejusque rebus *commune* fuisse unquam certissimum esse potest; partim illi qui (b) quidem in scriptis suis aliquid habent simile rebus a *Mose* relatis quibusdam, immerito autem hæc ex *scriptis Mosis* hausisse ab illustri viro censentur. *Priori* in loco notandum esse *CHARONDAM* putarem, qui nulla alia de causa in hunc referri censum potuit, quam quod in nummis legis-

lator pingatur CORNUTUS, quod de *Mosis*  
*sumtum esse fabulis* continuo monet Vir doctissi-  
 mus quem *cornuta fuisse facie* veteres credide-  
 runt §. XI. Observandum tamen (1) de  
*Mose cornuto* multo recentiore esse *Charondæ*  
*ætate fabulam*, ut hinc ejus *cornuta facies*  
*desumpta esse* nequiverit. Dudum hæc viris  
 doctis uberrime peruestigata sunt, quique  
 omnes ex merito nummos *cornutum Mosis*  
*vultum exhibentibus*, adulterinis adnumera-  
 runt. Neque enim aliter ac ex ignorantia  
 Hebraicarum litterarum earumque rerum  
 quæ de *splendida Mosis facie* in sacris legimus,  
 hæc fabula in seculum introiit dudum post  
 nati Sospitatoris tempora. Sed ut justo simus  
 liberaliores, detur (2) eam *ætati* convenire  
*Charondæ* fabulam, minime tamen uteris legiti-  
 ma ratiocinatione, si hinc concludere velis  
 & *Charondæ* cornua a *Mosaicis* mutuo petita  
 esse. Multo minus, veleo concessio pariter,  
 hinc occupare *Charondam* locum debere inter  
 ea quæ de *Mose* colliguntur, testimonia.  
 Quid enim *Charondæ* unquam suisque Cata-  
 næis ceterisque Italis Siculisque, quos ille le-  
 gibus auxit, negotii fuit ea ætate cum He-  
 bræis & *Mose* eorum legislatore. Silet ea de  
 re omnis Historia, & merito quidem. Nul-  
 la enim *Judæis* cum his populis tum temporis  
 fuere rerum commercia. Cur autem quæ-  
 so, non æque Alexander Macedo regesque  
*Macedoniæ* ceteri huc quoque referuntur ut  
 te.

testes libri *Mosaici* & *Mosis* ipsius? Pinguntur enim, ex plurimorum sententia, æque in nummis cum duobus cornibus. Aut si illis in nummis haud *Macedoniæ* regum, sed *Jovis Hammonis* adparet vultus, feliciore hario- latione, ut aliis videtur, *Jovem* ne inde con- cludes cum *Mose* permutatum & confusum? Concludes autem si *cornutam* quamvis *faciem* deberi *Mosaicæ*, argueres. At *Charondas*, ais, *legislator* fuit? Qui vero? Si *legislato- res* quivis *Mosi* testimonium perhibent & *Mi- noa* & *Rhadamantum* & *Zamolxin* & *Lycurgum* imo universum *legislatorum* senatum in hoc concilium impune convocabis. Præterea (3) cum *Charondam cornutum* pictum ait *Huetius*, dubio procul ob oculos habet nummum *Ca- tanensem* in quo *effigiem* cum *cornibus* hujus *Charonde* referre *faciem* placuit cum aliis tum *Raphaëli Thricheto* du *Fresne* in *Epistola* ad *Petrum Seguinum* quæ ad calcem numismatum *Seguini* excusa est, p. 189. sq. Verum hanc in eo nummo *faciem* minime *Charonde* ex- primere, sed *SILENI*, *Bacchi* socii, quem *cornutum* finxisse veteres novimus, docuit *Illustris Spanhemius* de *Usu & Præst. Numism.* p. 370. Ed. prim. Eique adstipulatur *Celeb. Fabricius* *Biblioth. Græc. L. II. Cap. XIV. §. 6.* Quo animadverso solum, sponte sua, ut pluribus his convellendis immorari haud oporteat, universa hæc de *Charonda* obser- vatio corrui *Huetiana*.

§. 5. Idem iudicium ferendum est de HISTIAEO MILEGIO quem §. LXIV. nulla alia ratione huc relatum video, quam quod de campo *Sennaar* in *Babylonia* sito differuerit, quod, inquit Huetius, mere *Mosaicum* est. Verum, amabo, nemone de situ alicujus regionis, quam & Moses verbo indicavit, possit sermocinari, nisi continuo putabimus eum hoc ab ipso *Mose* petiisse mutuo? Eadem hæc ratiocinatio est ac si urgere discupas omnia in *Orientis* regionibus loca quorum *Mosi* aequemtentio ac veteribus *Geographis Græcis Latinisque*, eaque quæ illic contigerunt, ex *Mosis* descripta esse libris, quos tamen illi nunquam viderunt, aut siquidem viderint, tamen tanti non duxerunt, ut ex illis suas, quas retulere de variis rebus, peterent historias, certe eos non desumisse manifestissimum est.

§. 6. Refer huc pariter convenientias quarundam *Historiarum* apud *HOMERUM* quas itidem detortas esse putat ex sacris *Mosis* literis §. III. Quicquid etiam viri docti scripserint ego neque his in rebus neque in ceteris ab *Homero* relatis aliquid *Mosaici* reperiri persuasum habeo. Candide enim fateor, credere velle *Homerum* vel fando de *Mose* audivisse, nedum ejus scriptis, *Hebræo* sermone exaratis, necdum tum temporis in *Græcum* sermonem translatis, usum esse vel sua opera; vel aliorum adminiculo, mihi sem-

semper adeo ab omni vel veri quadam specie alienum visum fuisse, ut nihil magis vel ex omnibus, quæ quidem unquam sollers humanum protulit ingenium, suaviludiis. Si enim ficulis adeo stramineisque licet uti in re gravi & seria argumentis ac quidem hucusque producta sunt a viris eruditis, in me recipio me æque ostensurum & *Petronium*, *Curtium*, *Livium*, *Justinum* & omnes omnium gentium scriptores & Historicos sua ex Mose & Pentateucho petiisse. Quid enim nonne si minutatim verba excutimus, nonne erunt ubique quæ & in altero deprehenderimus similia; præcipue si truncata mutilataque nec sua serie exhibebimus? Nonne, quæso, eadem quotidie inter homines scena luditur mutatis tantum personis, adeo ut necesse sit quo *actiones* passim inter diversissimos homines *parallelas* deprehendamus? Tunc ipse, qui hæc legis fortasse aliquid cum Mose simile in tota vita peregisti? Hoc si ab aliquo in litteras relatum sit, & post mille annos forte aliquis hæc deprehendens, & te ipsum *Mosen* fuisse continuo dixerit, quos non risus, quos cachinnos tibi, siquidem viveres, excitari animadvertes? Precibus usus es ad Deum. Et Moses hoc fecit. Ergo es Moses. Fuisti dux exercitus. Hoc & Moses fuit. Ergo es Moses. Moses transiit mare rubrum. Et tu cum exercitu tuo hoc fecisti. Ergo es Moses. Apage quisquiliarum. Certe doctum quendam virum qui nuper æque in

Ovidii

Ovidii *Metamorphosi* fontes sacros & *Historias* in sacris relatas reperiri ostendere voluit, ejusmodique conatibus ora eruditorum in cachinnos solvit: multo majori niti specie veri existimo, quam qui simile quid in Homeri scriptis tentarunt. Eset enim fabularis quidem *Metamorphoseos* mira *metamorphosis*, neutiquam tamen *Historiarum* corruptio permutatioque longissime diversissimarum. Scribant itaque *Homerum Hebraizantem*, Ὁμηρον ἑβραϊστικόν, &c. qui his delectantur nugis eruditae, sciantque quoadusque *Judicio* exactiorilimatioreque inter doctos honos suos habebitur, nec luxuriosissimo ingenio primæ decernentur, hæc ad *Utopiam* & *campos elyftos* relegatum iri. Neque est quod dissimulem non sine ingenti stomacho me nuper legisse in Bibliotheca Historico-Theologica, quæ heic loci excuditur, Class. II. Fasc. II. Sect. VIII. p. 385. scripsisse Gerbardum Croesium V. D. M. Dordracenum *Homerum ἑβραϊστικόν* Dordraci a. 1704. excusum, in quo eum operam dedisse ut ostenderet HOMERI Argumentum esse HISTORIAM SACRAM, & in ODYSSEA HISTORIAM PATRIARCHARUM & *Israelitarum usque ad Mosis mortem*. In ILIADE autem, ea que POST MOSIS obitum ab Israelitis duce Josua in occupanda urbe Hierichunto totaque *Palestina gesta sunt*, contineri.

Concurrere omnes augures, haruspices,  
 PORTENTUM inusitatum conflatum est  
 recens!

Sed spectatum admissi risum teneatis amici! Hoc  
 exemplo discas quibus tibicinibus ἀδηνόρογο-  
 μαντα, quæ hujus seculi pastus est, nitatur,  
 quidque a splendidis ejusmodi nugis sperandum  
 sit sacris aliisque bonis litteris detrimentum,  
 quibus omnia sursum deorsum, sacra profa-  
 nis miscentur, quidvis ex quovis, ut si vel  
 baculus stet in angulo, ergo cras pluvie inde  
 necessaria evidentia (si diis placet) colli-  
 gatur.

§. 7. Neque est cur in veterum de *Mose* te-  
 stimoniorum censum admittatur DEME-  
 TRIUS PHALEREUS ut placet eidem viro  
 illustri §. XXII. quasi is autor fuerit suasorve  
 quo *Pentateuchus Moisaicus Græcæ* civitati infer-  
 retur. Fateor, si testimoniis spuris æque ac  
 bonis in re gravi delectamur, & hoc suo col-  
 locandum esse loco. Sed quid his profici-  
 mus aliud, nisi ut apud incredulos ipsam rem  
 in dubitationis suspensionem addueamus. Adest  
 magnus satis sinceri commatis scriptorum nu-  
 merus qui Mosis auctoritati comprobandæ  
 abunde sufficiunt, ut fidei sublestæ in auxi-  
 lium vocare haud opus sit. Existimo enim  
 fabulam, quam *Aristeæ de LXX.* interpreti-  
 bus libro debemus, ab eruditis catervatim,  
 & nuper *Ant. Dalenii* opera ad incredibilem nu-  
 merum detrusum esse ut in verarum historiarum

nunquam amplius a quoquam admitti possit. Præcipue cum luculentissime evictum sit dudum libros sacros Græce redditos de Hebraico, diverso admodum & dissimili conscriptos esse stylo, neque pari ubique aut iudicii aut eruditionis acrimonia, ut quidem hæc versio neque unius ætatis neque laboris videri possit. Cadentibus idcirco de *septuaginta interpretibus* fabulis, cadit simul *Demetrii* autoritas *Phalerei*, cujus auspiciis hos V. Test. reddidisse *græcum* comminiscuntur. Atque hæc de *primo ordine*.

§. 8. Præter hos in Huetiana collectione alia simul occurrit *gentilium* turba, qui pariter alia nulla de causa in hanc societatem intromissi sunt, quam, quod de *mundi origine* aliisque rebus *Historiam Mosaicam* æque exhibentibus, huic aliquid retulerint perquam *simile*. Ea enim de causa hi proferuntur quo lectori persuadeat illustris Episcopus hæc omnia ex ipso *Mose* hausta esse, unde eo tempore *Mosis* scriptum in rerum natura *existisse* probatum iri, contendit. Novi quidem hoc in negotio viram summum sequi *communem* eruditorum *opinionem* consentium gentes, quæ *Mosaicis* similia habent, ex ejusdem etiam scriptis in suos usus transfuisse veritatum antiquissimarum vestigia: adeoque ex hypothesis ab Ill. Huëtio iuste satis eadem in hunc numerum descripta esse testimonia. At diffiteri me rerum manifesta veritas jubet, in  
hac

hac sententia, ut ut pervulgata, aliquid vel veri  
 vel vero similis delitescere, quæ a *moribus* Judæ-  
 orum gentiumque alienissima est. Adeo enim  
 Judæorum natio a gentibus, & Gentium a  
 Judæis abhorrebant, ut inter utrumque po-  
 pulum parum pristino tempore vel com-  
 mercii fuerit, atque si vel sacros libros omni-  
 bus patuisse censeamus gentibus, illos tamen  
 æque novimus *Judeos* eorumque *sacra* omni-  
 bus sibilis, Iannis & dicteris exagitate, tan-  
 tum abest quo putemus, hos eorum oraculis  
 tantam fidem adhibuisse, ut si quid de rebus  
 priscis scribere in animum induxerint, nuga-  
 cissimum (ex eorum sententia) *Mosis librum*  
 continuo excusserint. Ne dicam hæc ipsis  
 gentium adversari testimoniis qui sua ex *pro-*  
*priis* neutiquam Mosaicis documentis hausis-  
 se, unanimi sententia adserunt. Et certe ha-  
 buere gentes *propria*, quibus usi sunt docu-  
 menta, quo precario aliunde & ab insensissi-  
 ma odiosissimaque Israelitarum gente, non  
 fuerit cur expeterent. Permittat itaque, le-  
 ctor, quoniam res hæc est longioris anheli-  
 tus, eam omnem peculiari opera alibi excu-  
 tiamus, communisque opinionis præjudicia  
 radicitus, ut quidem operam dabimus, evel-  
 lamus. Quo ipso & alia longe ratione his  
 ipsis testimoniis, ea propter quod a Mose de-  
 sumpta non sint, sed ex propriis petita docu-  
 mentis, interim tamen Mosaicis *paria*, Hi-  
 sto-

istoriarum Mosaicarum veritatem corroborabimus.

§. 9. Ex quo vero Ill. *Huëtius* res ipsas quas Mosaicis persimiles exhibuere hi scriptores, in summam collegit, eas & hinc peti cupimus. Nos tantum nominum catalogum exhibebimus. Sunt ergo (I) monumenta, annales, Historicique populorum ORIENTIS, qui res omnes quas referunt, fatentur se ex genuinis annalibus suarum regionum transtulisse. Quæ in re ipsis fides habenda est, neque continuo levissima de causa mendacii plagiique damnandi, cum & gentibus æque propria documenta fuisse ac Judæis abunde constet. Quæ etiam, quo propiores hi populi orientales iis fuere terris, in quibus primi hominum creati, eorumque propago adolevit, eo integriora apud eosdem æque ac apud *Judeos*, hæc servari potuerunt atque custodiri, quam quidem apud ceteras gentes remotiores, ipso id docente utriusque populi historiarum parallelismo & *Judeorum* & *gentilium*. Idcirco huc referimus (a) antiquissima monumenta AEGYPTIORVM ut sunt *columnæ Mercurii* & *Ægyptiorum libri sacri* ex quibus se hausisse historias narratas testantur *Manetho*, *Apion*, *Cheremon*, *Ptolemæus Mendesius*, *Jamblichus* aliique quorum de rebus *Ægyptiacis* extant fragmenta.

Dein (β) PHOENICUM, uti scripta *Tauti*, *Hypomnemata* in templis *Syria*, quæ lauerunt

runt scripta *Amuneorum*, commentarii *Hierombalis* sacerdotis Phœnicii: & qui ex his Historiam suam contexit, *Sanchoniathon* Berytius. Addantur his libri *Nicolai Damasceni*, *Thalli* Historia Syriaca, & *Histiæus Milesius* Historiæ Phœnicæ scriptor &c. Porro (γ) scripta CHALDÆORUM, qualia sunt *Berosi*, *Abydeni* & ceterorum.

§. 10. Accensendi his scriptoribus illi sunt (II) recentiores ut plurimum qui ex horum scriptis suas rursus contexuere historias, unde eadem, ut fit, ex eorum fontibus retulere. Sic ex *Ægyptiorum* monumentis ut plurimum *Romani* & confiniū regionū autores, sive Græco sive latino stylo ac oratione scripserint, sua desumserunt, ob utriusque populi mutuam necessitudinem. Refero in hunc censum *Diodorum Siculum*, *Plutarchum*, *Trogum Pompejum*, *Plinium*, *Tacitum* aliosque. Quis enim crederet eos sua, de *Judæis* quæ habent, ex *sacris litteris* depromisse, cum tot figmentis, quæ nullibi in SS. litt. apparent, ea, quæ vera sunt, permiscuerint? Potius eorum fabulæ *Ægyptiacis* his rebus sunt persimillimæ. Sic & ex *Phœnicum* libris sua dubio procul habet *Lucianus*, ipse *Syrus*, quæ de *Arca* & *diluvio* scripsit in Dialogo de *Dea Syria* alibique passim, quæ priscam, ut à *Mose* tradita est, primi orbis Historiam redolere videntur, sed ita ut à Phœniciis in litteras relata. Addendus his est *Lysimachus*, qui

cum utrisque Ægyptiis Phœniciisque tum & Chaldeis suas debuit Historias.

§. II. Ad aliam classem (III) pertinent GRAECI homines docti, qui in ipsas ORIENTIS regiones abiere, atque adeo variorum populorum sacra scrinia consulere potuerunt. Cum enim ex iis doctrina auctiores & notitia priscarum rerum in patriam redierint, videntur sua, quæ habent similia scriptoribus orientis, ex iisdem quoque fontibus, utut non confiteantur, petiisse. Neutiquam tamen exinde, ut Ill. Huetio placet, concludi potest, eos consuluisse scripta divina Mosis. Qui vero velin Ægyptum, vel Chaldaeam vel Phœniciam profecti esse harum causa rerum narrantur, sunt Homerus, Solon, Pherecydes Syrius, Eudoxus Cnidius, Thales, & plures alii, quorum nomina Ill. Huetius §. 5. recenset. Imo & in ipsam JUDÆAM venisse dicitur Pythagoras & Plato. At, neque exinde quod Judæam peragraverint, si peragraverunt, conjici probabiliter potest, nedum manifesta argumentatione confici sacros Judæorum libros, quos adeo gentium studiis invidebant, eorum perustrationi patuisse. Risisse hos potius & subfannasse, ut Judæorum mores ipsis absurdi erant sordidique, quam consulere voluisse fas est opinari. Tum, si & hoc ipsum contigerit, nondum probatum tamen eos ita illis placuisse libr. s. ut hic rerum veritatem velut in Democriti puteo latentem unice crediderint, adeo-

adeoque ex iis quædam seu mutuo seu com-  
 modato petierint. Ne referam hos in Judæ-  
 am venisse non à *cœvis* aut proxime eorum  
 ætatem excipientibus scriptoribus, sed longe  
 recentioribus, iisque ut plurimum *Christianis*,  
 relatam esse, qui hæc per *piam fraudem* quo  
 eo majorem apud gentes S. litterarum au-  
 toritatem excitarent, fictitie scriptis inter-  
 posuere.

§. 12. Neque etiam (IV) prætermitti ul-  
 la possunt ratione scriptores alii seu *Greci* seu  
*Romani*, qui, utut *orientis* non consaluisse di-  
 cuntur itineribus regiones, attamen de *hujus*  
*universi primordiis*, rebusque aliis quamplu-  
 ribus non multum diversa retulerunt iis quæ  
 Moses litteris consignavit. Ex hac enim con-  
 venientia eos hæc Mosis sublegisse arguuntur.  
 Sed omnino perperam. Eorum, velut *He-*  
*siodi*, *Anaxagoræ* &c. magnus est numerus,  
 qui ex *Huetio* peti potest. Attamen cum  
 nullus scriptorum gentilium ita in quampluri-  
 mis quæ prima mundi nascentis spectant in-  
 cunabula, ac quidem *OVIDIVS*, qui prin-  
 cipio L. I. *Metamorphoseon* de rerum omni-  
 um creatione eum in modum canit, ut plane  
 ipsum Mosen latinis loqui versibus existima-  
 res: miror admodum eum in censum eorum,  
 qui Mosis scriptis usi dicuntur, testium  
 non computatum esse ab illustri viro,  
 qui tamen tot alios sibi constipavit, quibus sæ-  
 pius nulla, sæpius vix exigua & nunquam

tanta ac quidem Nafonianis cum Mosaicis est convenientia. Hos vero singulos scriptores sua non debere Mofi, quæ retulere, aut Judæis, ut censent viri docti, sed propriis gentium monumentis, præcipueque Ægyptiacis alibi, ut spem antea fecimus, annuente DEO, comprobabimus.

§. 13. Ex quo vero eos ex Ill. Huetii collatione expungendos esse indicavimus scriptores, quibus cum *Mosaicis* libris nihil fuisse rei, videtur verosimile: Superesse videmus adhuc magnam scriptorum catervam gentilium aliorumque hominum præter sacros autores, qui quidem *Mosis* ejusque librorum vel *apertam*, vel non usque adeo *dubiam* mentionem faciunt. Attamen cum omnium horum & singulorum testimoniorum neutiquam *æqualis* ad comprobendam *Mosis* ejusque scriptorum *γνησιότητα* sit aut esse possit auctoritas, eosdem tamen ab Ill. Huetio non separatos esse vidimus, eos ad certas classes reducamus, & in quem alium hi digeri possint ordinem, ostendamus. Observabimus itaque (1) hos, qui tantummodo *aliquam* *Mosis* mentionem fecere, ex quorum tamen testimonio hoc certo certius constabit, talem *aliquando* virum idque *ea* cum primis qua creditur, *etate* populo Judaico præfuisse. Imprimis cum illi omnes gentiles fuerint, & extra partes positi §. 2. (2) hos ex quibus apertum erit *Mosen* *aliquid*, *legem* cum primis *scripsisse*, adeoque hoc modo ad

ad *Pentateuchi* auctoritatem confirmandam  
facient, qui *Mosis scriptum* habitus est, §. 3.  
tum (3) qui docebunt eum *librum*, quem  
nunc habemus *eundem* esse ac qui *olim* *Mosis*  
habitus est §. 4, 5. & quidem (4) *talem* atque  
*immutatum*, qualem *nunc* posteritati relictum  
novimus §. 6. seqq.

§. XIV. Scriptores (1) qui *Mosis* memi-  
nere rursus *bifariam* dividendi sunt, quidam  
enim (α) *simplicem* modo aut rerum ab eo ge-  
starum, narratarumve *memoriam* reliquerunt.  
Quidam vero (β) id fecere *adjecta* vel *vitu-*  
*perii* nota vel *laudis* encomio.

(A) PRIORIS (α) ordinis sunt *Hellanicus*  
& *Philochorus* qui *Israelitas* ex *Ægypto* seces-  
sisse *Mose* duce scripsere. *Mosis* vitæ totam  
fere *historiam* habet *Artapanus*. Refer & huc  
*Castora Rhodium*, *Polemonem*, *Chæremonem*, *Thal-*  
*lum*, *Trogum Pompejum* ex quo sua de *Mose* alia-  
que *Judaicæ* *historiæ* fragmenta hausisse cen-  
serem cum *Justinum*, quæ habet L. XXXVI: 2.  
tum fortasse & *Tacitum* quæ L. V: *histor.* con-  
scripsit de *Judæis*.

(β) SECUNDI vero (b) qui (1) *Mosen*  
*laudaverunt* quodammodo, uti *Strabo*, *Nume-*  
*nius*, & *Artapanus*, qui quoque nobis ejus,  
quod memorabile, descripsit *formam*. Qui  
(2) *culparunt* variisque *convitiis* lacerarunt,  
sicuti *Apion*, *Manetho*, *Lysimachus*, contra quos  
*Josephus* scripsit *libris* quos contra *Apionem*  
*insignivit* *superstitibus* etiamnum. Porro

*Ptolemaeus Chennus & Helladius* *Besantinos* huc pertinent, qui dixerunt eum  $\alpha\lambda\phi\alpha$  esse vocatum, quia  $\alpha\lambda\phi\alpha\iota\varsigma$ , hoc est, vitiliginibus atque lepra quadam corpus suum commaculatum habuit, & variegatum. Item *Plinius*, & *Apulejus*, qui eum ut famosissimum *Magum* & eorum hominum ducem celebrant. *Julianus* quoque imperator passim eum acuto dente momordit. Et qui plures fuere hujusmodi furfuris homines.

XV. *Mosen* itaque quendam fuisse ex iis scimus testimoniis: Hunc ipsum aliquid, & quidem *Legem scripsisse* quod (II) animadvertendum, auctores docebunt subsequentes, iique

( $\alpha$ ) *JUDÆI* aut ( $\beta$ ) *GENTILES*.

( $\alpha$ ) *Judæorum* sunt testimonia scriptorum *Apocryphorum* V. T. qui *legem* sacram *Mosis* nominarunt citaruntque vid. 2 *Maccab.* VII. 30. Ubi legis per *Mosen* traditæ commendatur observatio & *Syracides* XXIV. 33. XLV. 6. &c.

( $\beta$ ) *GENTILIUM*, ex quibus IX. recensere possumus, & quidem primo loco (1) *Hecateum Abderitam* qui memorabili loco *Legis Mosis* ante se nullum vel poetam, vel oratorem vel historicum fecisse mentionem dixit. Quo *Hecateo* etiam testem ex gentibus qui *Mosis* meminit non scimus antiquiorem, quod probe notari velim. (2) *Manetho* qui eum *leges Hebræis* dedisse retulit. (3) *Alexander Polyhistor* cujus fragmenta sunt apud *Eusebium* L. LX. præp. EV. qui *legem Hebrææ* esse *Mulieris*, cui *Moso* nomen, scripsit. Porro *Mo-*

sis ut legislatoris Judaici mentionem fecere (4) strabo. (5) Nicol. Damascenus. (6) Diodorus Siculus, (7) Apollonius Molo & cum primis Juvenalis, cujus hæc Judæos describentis nota verba sunt Sat. XIV.

qui JUDAICUM ediscunt & servant ac metuunt JUS,

Tradidit ARCANO quodcunque VOLUMINE MOSES.

eum quo loco conferas illa Prisciani in Periegesi qui Judæos vocat

CHALDÆO nimium decoratam sanguine gentem,

ARCANISQUE DEI celebratam LEGIBUS unam.

§. 16. Porro (III) librum Mosis quem nunc habemus eundem esse cum eo qui pristino quondam tempore ejus habitus est, eademque continere quæ olim; rursus cum ex (α) Judæorum tum (β) gentilium citationibus verbisque rebusque hinc desumptis, quæ omnia in nostris idem Mosis occurrunt libris, certo demonstrari potest.

JUDÆORUM (I) sunt (1) scriptorum V. T. Apocryphorum.

(\*) 2. Maccab. VII: 6. citatur canticum Mosis quale cum Deut. XXXII. tum Psalm. XC: legitur.

(2) Tobia VII: 14. quæ ibi ex lege Mosis citantur, reperies Num. XXXVI: 15. seqq.

(1) *Baruchus* & quidem. c. I: 20. ex Deut. XXVIII: 15. sqq. Cap II: v. 4. ex v. 53. c. II: 28. ex Lev. XXVI: 14. & Deut. XXVIII. 15. sqq.

II. De ALIORUM JUDÆORUM, qui quidem etiam Græce scripsere, attamen extra hunc apocryphorum numerum sunt; Hæc vero eorum nomina sunt. *Ezechiel Tragoædus, Aristobulus Peripateticus, Eupolemus, Demetrius, Cleodemus Malchus, Torodotion, Philo senior, Philo Ægyptius, Josephus Matthiades, & Josephus Gorionides.*

XVII. GENTILIUM (II) testimonii duplicia rursus (I) eorum qui Mosis libros invenire & res ex iis citare quidem videntur, neque tamen hoc aperte faciunt. Quo refero testimonia *Theopompi & Theodectis*, qui *Mysteria Judaica* divulgasse narrantur, quæ litris Mosis omnino arcanis continentur, vide apud *Huetium* §. 13. Etiam *Megasthenis* scribentis *Judeos* habere *Historiam Naturæ*, quæ quin *Mosis Genesis* sit ex iis, quæ eo continentur libro, rebus vix dubitari potest. Qui vero (2) ipsa verba & res ex hoc *Pentæucho* *Mosaico* citavere, quæ etiamnum in eo leguntur sunt. (1) *Porphyrius*, qui *Judæorum βιβλων ἱερῶν* sacrorum librorum, & νόμος ἱερός sacrae legis, & *μεγαστηῶν ἀποφθεγγμάτων* sæpe meminit. Imprimis vero eum *Mosis* libros cum antiquissimi popularis sui *Sanchoniathonis* conflixisse, & ex hac collatione, quod vera Mo-

Moses scripserit, animadvertisse cum utrique paria retulerint, nos docet Euseb. L. I. præp. Ev. c. 9. Ex iis vero, quæ ibi apud Eusebium leguntur in *Mosis Genesi*, adeoque istum, quem Porphyrius legit *Mosis librum à nostro diversum* neutiquam esse exinde certissimum est. (2) *Julianus Imp.* qui *Mosis* passim citat verba, notat, refutatque. (3) *Galenus L. II. c. 4.* observatæ que *Moses de Dei infinita potentia docuit.* Hujus doctrinæ vero multa passim in *Pentateucho* occurrunt monumenta. (4) *Longinus* ἐὶ ὑψῆς citat verba ex *Gen. I.* γενέσθω φῶς καὶ ἐγένετο, γενέσθω γῆ καὶ ἐγένετο: quæ a mira sua sublimitate laudat. (5) *Trebellus Pollio c. 2.* scribit in libris *Judeorum legi consabulationem Mosis cum Deo*, quod, cum a Deo nunciatum esset, ipsi absoluto vitæ CXXV. annorum spatio moriendum esse, ille vero questus sit se juvenem mori, Deum inde promississe neminem mortalium hac ætate fore superiorem. Quæ ex *Deut. XXXIV.* corrupte detorta esse non injuste conjiciunt viri docti.

§. 28. Verum utut hæc insignia sint, nondum iis tamen res omnis transacta est, sed porro (IV) *Mosaicum Pentateuchum talem ab omni ævo fuisse, & immutatum incorruptumque ad nos devenisse* vix ambigi potest, ex quo *antiquitus hujus libri versiones in alias linguas extiterunt.* Nam cum illæ, quoad sensum eadem dicant habeantque, & velut

eotypa huic archetypo respondeant, uti eo  
 nunc per Dei gratiam fruimur: sine dubio  
*talis* quoque ac *idem* fuit hic liber tum cum illa  
 versio facta est. Exiguæ vero, quæ in ver-  
 sionibus variis hinc inde apparent *discrepantiæ*  
 tanti neutiquam sunt, ut uic libro auctori-  
 tatis quid iam demant, detrahantve. Versio-  
 nes illæ singulæ ab Huetio §. 77. annotatæ sunt.  
 Imprimis autem uic rei fidem summam ad-  
 struit antiquissima hujus libri GRÆCA seu  
*Alexandrina* versio, quæ vulgo *LXX. viralis*  
 vocari solet, quam longe ante Christi tem-  
 pora conditam esse & publica autoritate  
 in Synagogis Judaicis extra Palæstinæ terræ  
 limites lectam omnes omnium ordinum eru-  
 diti consentiunt, quorum tamen voces &  
 sententiæ in ipso designando temporis arti-  
 culo, ut, quæ maxime, dissonæ sunt. Eas  
 vero examinare, cum id hujus loci non sit,  
 monuisse verbo tantum juvabit, quod a Jaco-  
 bo Usserio aliisque viris eruditissimis de-  
 monstratum sit hanc Græcam *Pentateuchi* ver-  
 sionem ceterorum sacrorum librorum ver-  
 sionibus (quorum singuli fere alios atque  
 alios diverso tempore nacti sunt interpretes)  
 esse longe *vetustiore*. Quorum etiam sen-  
 tentiam nuper amplexus est. Cl. v. Lam-  
 bertus BOS, in prolegom. suæ editionis.  
 Quam mihi ut optimam placuisse diffiteri non  
 possum.

§, 19. Præterea tamen Mosis librum supra bis millenum annorum numerum talem fuisse qualis nunc est; quod probandum sumus, egregio plane, ac peculiari argumento est ejus collatio cum PENTATEUCHO SAMARITANO, quorum alterum ex fide Judæorum Christianorumque, alterum ope populi Samaritani nacti sumus. Neuter tamen ab altero, nisi levissima quadam hinc inde discrepantia, diversus est. Est autem Samaritanus, ut notum, ipse *Hebræus* Pentateuchus, scriptis antiquissimis verisque (hæc enim sententia potior videtur) populi *Judaici*, quibus is quondam in Palæstina usus est literis, quas nunc (quia apud Samaritanos servatæ sunt, & ab hodiernis Judæorum discrepant) ab eorum quoque nomine vocare consuevimus **SAMARITANAS.**

JACOBI FRIDERICI  
REIMMANNI,  
SPECIMEN (a) LEXICI  
PARADOXOLO-  
GICIA

In quo paradoxa de ATHEIS  
fistuntur.

1) *Etymologia.*

**N**ulla dari potest ratio, cur Athei vo-  
cabulum apud Latinos (b) non aequè  
scribatur per *d* (Adeus,) ac nomen  
*Dei* à Græcis in ☉☉ traductum.

2) *de Synonymia.*

Atheus & impius non sunt Synonyma juxta  
Theo-

(a) In hoc opere constitutum est S. R. Viro, cujus  
insignia in rem literariam merita exstant ea, quae  
unquam in orbe erudito sparsa sunt *Paradoxa*  
Theologica, Juridica, Medica, Philosophica, Phi-  
lologica, Historica bona fide indicare, & hac ratio-  
ne in quovis argumento quid insoliti alat respubli-  
ca literaria, reducto quasi velo & uno obtutu  
ostendere. Hujus autem operis h. l. unicus tan-  
tummodo in scenam producitur Articulus collectus  
de voce *Atheus*, ut ex hac fimbria de veste & mem-  
bro de corpore universo possit ferri judicium. T. d. H.

(b) Sed anne satis rationis est, quod *a* illud privati-  
vum non aequè cum *Deus*, quam ☉☉ potuit con-  
necti. T. d. H.

7

Theophrastum apud Porphyrium l. 2. de ab-  
 stinentia p. 131. Edit. Lugdun. Item Christianum  
*Thomasium* in cautelis circa præcognita  
 Jurispr. c. 19. §. 70. p. 360. Cum plerisque  
 videantur talia, Vid. H. E. Gothanam P. 2. c.  
 1. §. 2. p. 4.

3) de *Homonymia*

Athei vox Ethnicis tributa Ephes. II: 12.  
 significat hominem cui Deus se non ita notum  
 reddidit, ut Judæis, si audias Isaacum Peyre-  
 rium l. 2. de Præadamitis c. 6. p. m. 82.

4) de *Existencia.*

Atheos non dari putat Thomas *Brown* in  
 religione Medici P. 1. S. 19. p. 122. Notatus  
 iccirco ab Antonio *Reisero* in dissert. de Atheis-  
 mo p. 286. Sed sine causa. Ita enim exponit  
 suam mentem in Pseudodoxia Epidem. l. 1.  
 c. XI. p. 54. ut facile concedi queat hoc *ἠθεϊ-*  
*δοξον* scilicet non dari Atheos perfectos, qui  
 vel accurate demonstrare potuerint non dari  
 Deum, vel hoc dicere & sibi met ipsis non con-  
 tradicere. Quod & *Roffensis* comes confir-  
 mat in ultima *Μετανοία* à Gilberto Burneto  
 descripta p. 12. nullum se novisse Atheum,  
 qui intus & in cute esset talis, quique crederet  
 nullum omnino in rerum natura dari Deum.  
 Adde *Clarckium* in tr. *Collini* sur la liberté de  
 penser p. 61. Et *Joh. Owenum* l. 3. Epigr. n.  
 16. p. 44. *Plato* etiam l. X de legibus p. m.  
 665. Edit. Lugdun. diserte tradit Atheum  
 theoreticum qui usque ad vitæ finem talis  
 fue-

fuerit & sibi constiterit. non dari. Cum quo consentit Joh. Christ. Wolfius in dissert. de falso Atheismi suspectis §. 6. p. 11. Item Christoph. Matthæus Pfaffius in dissert. de Præjudiciis Theol. §. 23. p. 622. in not. b) Nec abit P. Bælius in Diction. Hist. Critico voce Ruggeri p. 2627. not. D Joh. Henr. Schutteus in præfat. Oryctographiæ Jenensis. Imo Th. Brown in religione Medici P. 1. Sect. 19. p. 122. putat ipsum Autorem infandi operis de tribus impostoribus non fuisse Atheum. Et in Pseudodoxia Epidem. l. 1. c. XI. §. 4. p. 54. ne quidem votis optari posse ab ulla creatura. Ut non sit Deus: nedum firmiter credi. Atheos vix tres quatuorve fuisse, Maximi Tyrii est hypothesis in Dissert. 1. p. 5. Edit. Lugdun.

Athei apud Barbaros fuere nulli, Æliano iudice l. 2. Hist. Var. c. 31. p. 48.

Athei apud Ethnicos fuere rariores juxta H. E. Gothanam l. 2. c. 1. §. 2. p. 4.

Atheæ fæminæ non dantur facile juxta P. Bælium in Lexico Historico p. m. 474. not. A. Dari tamen interdum docuimus in Historia: Theol. Judaicæ l. 1. c. 18. §. 5. p. 578. exemplo uxoris Jobi, spectatque præterea ad hunc censum Aspasia Periclis uxor à Bælio descripta l. c. p. 2376. not. M. cum quo conferendus Plutarchus in vita Periclis Tom. 1. Op. p. 169. Filia Francisci Van den Ende Præceptoris Benedicti Spinozæ apud Joh. Colerum in vita Spi-

Spinozæ p. 6. Itala mulier α'vovvμε in H. E. Gotham 1. 2. c. 4. §. 3. p. 556. Alia ab Atheismo ægre conversa, cujus meminit Samuel Wardus in concione ad Joh. 13. v. 17. p. 515.

Athei non fuere ætate aurea Juvenale teste Satyra X. p. m. 506.

Athei Theoretici non fuerunt ante Sectam Jonicam juxta J. J. Syrbium de Origine Atheismi §. 25. p. 48.

Athei in inferno nulli sunt, canente Joh. Oweno l. 3. Epigr. n 91. p. 164. Nec ipse Diabolus est Atheus Jac. 2. v. 19. cum quo conf. Th. Brown Pseudodoxia Epidem l. 1. c. XI. §. 4. p. 55. Describit tamen Diaboli Atheismum autor demonstrationis Allegoriæ Historiæ Dissert. 2. §. 61. p. 64.

Athei sunt omnes qui Ecclesiæ Romanæ decreta non adorant, si sequaris Antonium Possevinum L. VIII. Bibl. Selectæ c. I-XII. pag. 442. seq.

Athei sunt omnes Polythei secundum Henricum Morum in Operibus Theol. p. 93.

Athei non sunt multiplicandi præter necessitatem, nec temere quis in hanc censum rejiciendus Wolff. de falso Atheis. suspectis Sect. I. p. 3. & Sect. 2. p. 17. cum quo amice conspirat J. J. Syrbius in dissert. de Origine Atheismi. J. A. Fabricius l. 3. Bibl. Gr. c. 6. p. 177. Henr. Morus in Op. Theol. p. 100. Phil. Jac. Spenerus in letzten Bedencken T. I. p. 335.

Dari integras gentes Atheas contendit Cotta apud Ciceronem L. de natura Deorum n. 62. p. 1210. Edit. Lugdun. Item Joh. Lockius de intellectu humano l. 1. c. 4. §. 8. p. 71. seq. Nec multum abiit Joh. Seldenus de J. N. & G. juxta disciplinam Hebræorum l. c. c. 6. pag. 79. Edit. Londin. Consentit etiam Bernhardus Varenius kurtzen Bericht von mancherley religionem derer Bölcker p. 948.

Athei etiam dantur inter fanaticos & Enthusiastas, vide Recueil des diverses pieces sur la philosophie Tom. 2. p. 267.

5) de *Essentia*.

Atheismus non est peccatum sed error duntaxat & stultitia quæ jure puniri non potest secundum Th. Hobbesium quem confundit Sam. Puffendorfius de J. N. & G. l. 3. §. 4. p. 313. Adde J. F. Reinhardi theatrum prudentiæ p. 202.

Atheus omnis est Entheus juxta Joh. Friedem. Schneiderum in Icone Atheorum §. 2. not. d. p. 12. Et Atheus omnis stupenda sua cæcitate probat dari Deum, ut docet Mr. Pascal dans ses Pensees p. 8.

Atheus habetur vulgo, qui ab opinionibus communiter receptis latum unguem discedit, vid Joh. Lockium de Intellectu humano l. 1. c. 3. 25. p. 64. Hinc optimi quique ex Ethnicis habiti sunt Athei. Th. Brown Pseudodoxia Epidem. l. c. c. XI. §. 4. p. 54.

Atheus est, non qui tollit multitudinis De-

os, sed qui Diis multitudinis opiniones applicat ex mente Epicuri apud Diogenem Laërtium L. X. n. 123. p. 655.

6) de *Differentia.*

Atheismus est triplex oris, rationis & cordis & hic ultimus omnium est perniciosissimus juxta P. Poiret l. v. Oecon. Divin. c. 1. §. 7. p. 328.

Athei dantur, qui negant existentiam Dei & credunt existentiam Diaboli docente Bælio in Dict. Hist. Critico p. 2628. in notis ubi & plura discutit Problemata huc spectantia v.g. An à negatione Diaboli ad negationem Dei valeat consequentia? Item an à positione Diaboli ad positionem Dei valeat sequela? Adde etiam p. 1574. not. M.

Atheorum numero censendi non sunt, Naturalistæ, Deistæ, fanatici &c. juxta J. C. Wolfium in dissert. de Atheismi falso suspectis Sect. I. §. 4. p. 9.

Athei sunt, qui tollunt sagas, juxta Thomam Brown in relig. Medici Sect. 29. P. I. pag. 183.

Athei multi credunt mundum habere initium, ut docet Joh. Clericus in Bibl. selecta T. 2. p. 39. seq.

7) de *Affectionibus.*

Atheismus melior est superstitione & Polytheismo si audias Plutarchum in tr. de superstitione T. 2. Op. pag. 169. Cujus vestigia non pauci è recentioribus secut, sunt ut P.

Class. VI. Fasc. V.

Ggg

Bælius

Bælius, alii. Christ. tamen Thomasius in cautelis circa Jurispr. c. 12. §. 91. p. 195. hoc problema curiosum magis esse existimat quam utile. Cum quo facit G. Stollus in der Historie der Gelahrtheit P. 2. c. 3. §. 29. pag. 203.

Athei ipsi fatentur Entheos se esse feliciores. vid. Gilberti Burneti Hist. Wiltoni Comitibus Rossæ p. 33.

Athei Theoretici proni sunt ad superstitionem judice Christ. Thomasio in Cautelis Jurisprud. c. 19. §. 73. p. 361. Et magna est affinitas inter Atheismum & Enthusiasum docente Henrico Moro in dissert. de Natura, causis, generibus & curatione Enthusiasmi T. 2. Op. Philosoph. p. 187. Imo & Sibyllas Atheismo fuisse inquinatas Joh. Harduini est sententia in Chronol. V. T. p. 29.

Athei interdum piis sermonibus delectantur, quod exemplis probat Mericus Casaubonus in Comment. de Enthusiasmo c. 4. pag. 113.

Atheismus & superstitio interdum possunt esse simul in uno subjecto & fieri potest, ut Atheus sit Astrologiæ judiciariæ deditus, ut copiosius docet P. Bælius in Lexico Hist. Critico p. 2628. in notis. Cum quo conferendus Mr. Maizeaux in Vita Evermontii T. 1. Opp. Et in Accessionibus ad hanc vitam pag. 3.

Atheos bonos reipublicæ cives esse posse con-

contendit P. Bælius cui se opponit J. C. Wolfius in dissert. de falso Atheismi suspectis Sect. I. p. 3. Et J. F. Buddeus in Institut. Theol. moralis P. 2. c. 3. Sect. 7. §. 27. p. 592.

8) de *Effectibus*.

Atheismus temporis novissimi multum produxit boni juxta Armandum de la Chapelle T. IX. Bibl. Angloise P. 2. Artic. 6. pag. 474. scilicet egregias veritatum primarum vindicias.

Atheismus non duxit necessario ad corruptionem morum judice P. Bælio in Cogit. diversis de Cometis, & alibi, cui peculiarem dissertationem opposuit Zacharias Grapius, Rostochii 1709. Cujus etiam Theologia recens controversa est consulenda P. i. Qu. 7. p. 36. Pluresque nominat Casparus Neumanus in trutina religionum c. 2. p. 16. qui huic Paradoxo se opposuerunt.

Atheistica scripta non sunt supprimenda, sed in lucem aspectumque proferenda judice Joh. Diecmano in Dissert. de Colloquio Joh. Bodini Heptaplomeres p. 15. Joh. Christ. Wagenheilio in præfat. ad tela ignea Satanæ, Christ. Thomasio in ernsthaften Gedanken von allerhand Juristischen Händeln P. i. pag. 240. Dan. Georgio Morhoffio in Polyhist. I. I. c. 8. §. 1. & §. 5. p. 75. 76. Christoph. Augusto Heumanno in Actis Philosoph. P. 7. n. 4. §. 2. p. 116. sq. Herm. Conringio in præfat. ad Nic. Machiavelli principem.

Atheistica scripta in oratione ligata magis pernicioſa eſſe quam ea quæ ſunt in oratione ſoluta putat P. Bælius in Diction. Hiſt. Critico pag. 1312. not. H.

Atheiſticum Catechiſmum exhibet Thomas Kempius in Bibl. Theol. Anglica c. X. p. 355. Atheiſticum Decalogum J. C. Danhawerus in Theol. conſcientiaria P. 2. S. 2. Dial. 3. Artic. 2. p. 507.

9) de Origine.

Atheiſmus ortus eſt è Metaphyſica juxta Altingium apud Giſbertum Voëtium in diſſert. Selectis T. I. in addendis p. 1157. Idemque facile naſci poteſt è Theologia Myſtica, ſi audias Mericum Caſaubonum in Comment. de Enthufiaſmo c. 3. pag. 87. Natus etiam è Theologia Monafterica & ſpecialim ex illa hypotheſi qua docetur pœnas peccatorum fore æternas ſecundum Stoſſium in ſupplem. de Concordia rationis & fidei p. m. 138. Enthufiaſmus facile degenerare poteſt in Atheiſmum judice J. F. Buddeo in theſ. Theol. de Atheiſmo c. 2. §. 5. p. 217. Imo omnis atheiſmus oritur ex ignoratione cauſarum ſecundarum ex qua Th. Hobbefius religionem putat eſſe exortam docente Henrico Moro l. I. de Immortal. animæ c. 12. §. 6. pag. 320. T. 2. Op. Philoſoph. Superſtitionem eſſe Atheiſmi fontem vult Autor d' Histoire des Ouvrages des Scavans 1696. Menſ. Febr. pag. 247. Atheiſmum eſſe proprium inſeparabile corporis

ris cholericis & superstitionem Melancholici, nonnullorum est hypothesis. Vide si scriptum Autoris Medit. Philosoph. apud Thomassium in vernünftigen Gedancken von allerhand Juristischen Händeln T. 1. p. 269.

10) de Refutatione.

Athei non rectius refutari possunt quam si supponatur materiam Deo esse coeternam si audias Aubertum de Verse apud Gottlieb Stollium in Historia Erudit. P. 2. c. 3. §. 22. p. 191. not. W.

Athei non solidius possunt debellari quam si supponatur animam humanam non per se subsistere, si facias cum Auctore des vertrauten Brieff-Wechsels von Wesen der Seelen Epist. 1. p. 19. Item p. 40. & p. 42. Quæ hypothesis postea p. 50. enervata p. 75. resumitur & defenditur.

Athei non possunt confundi nisi supponatur bruta habere principium actionum immateriale juxta autorem Epistolæ 2. in vertrauten Brieff-Wechsel vom Wesen der Seele p. 47.

Athei non possunt abs te refutari nisi ipse ad tempus fias atheus juxta Joh. Claubergium de dubitat: Cartesianæ c. 4. §. 21. p. 114.

Atheus non negat principia referente Auctore Anonymo in Cymbalo Mundi Ms. doc. 2. de Deo §. 4. Et si neget, tamen contra eundem est disputandum, eodem judice l. c. & principia sunt confirmanda Jo. etiam Bodinus in Epist. dedicatoria ad theatrum Naturæ, Aristoteli id

vertit vitio, quod Atheum panis non argumentis refellendum esse dixerat. Hanc legislatoris & principis esse orationem dicens non philosophi, cujus est rationibus urgere, non vi aperta cogere.

Athei non possunt convinci ex eo quod homines interdum variis loquuntur linguis quas nunquam didicerunt. Vid. Levinus Lemnius apud Mericum Casaubonum in Comment. de Enthusiasmo c. 2. p. 21. Et confer cum eo Huartum in Scrutinio ingeniorum c. 7. p. 185.

11) de *Accusatione & condemnatione.*

De Atheis mitius esse judicandum & sentiendum benignius vult P. Bælius cum aliis quibus adversum tenet J. C. Wolfius in dissert. de falso Atheismi suspectis Sect. 1. p. 1. seq.

Sexcenti sunt qui falso super Atheismo sunt suspecti. Vide J. C. Wolfii dissert. de falso Atheismi suspectis Sect. 2. §. 1. pag. 13. seq. Christ. Thomasi Cautelas circa Metaphys. c. 12. §. ult. p. 195. P. Bælii Lexicon Historico-Criticum p. 1574. not. M. G. D' Emilliane l' Histoire des tromperies des Pretres T. 1. Ep. 2. p. 108. Antonii Collini tr. sur la liberté de penser p. 125. Chr. Thomasi Monahths Gespräche P. 1. p. 969. seq.

12) de *Doctrina.*

Atheorum hypotheses difficiliores esse intellectu quam Hypotheses Entheorum exemplo Hylozoicorum docet Jean le Clerc Tom. 2. Bibl. Choisie Artic. 1. p. 27.

13) de

## 13) de Occultatione.

Atheismus interdum latere potest sub specioso Concordiæ Ecclesiasticæ titulo, si audias Gisbertum Voëtium in Paralipomenis ad T. 1, Differt. Select. pag. 1151. Cum quo conf. Christ. Kortholt de 3. Impostoribus Sect. 1. §. 12. p. 18. & Sect. 2. §. 19. p. 120. seq. Joachimi Felleri Contin. Historiæ univers. Joh. Læti p. 579. D' Emilliane dans l'Histoire des tromperies des pretres T. 1. Ep. 2. pag. 116. Casp. Calvörrii fissuræ Sionis l. XVI. c. V. §. 1. p. 466. Et l. XVII. c. 1. §. 9. p. 519. & l. c. p. 543. Joh. Hornbeckii Summa Controvers. l. VI. p. 396. Justi Lipsii tr. adversus Dialogistam p. 83. Gottlob Friedr. Jenichen Historia Spinozismi Leenhofiani c. 1. p. 47. J. C. Danhaweri Theol. Conscientiaria Tom. 1. P. 2. Sect. 2. Dial. 3. Artic. 2. p. 506. P. Bælii Lexicon Hist. Crit. p. 1574.  
not, L.

PETRI ZORNII,  
Dissertatiuncula

DE

COELESTI EPULO, (\*)

*Quod sapientia extremo melioris ecclesie  
tempore datura est,*

ad locum PROV. IX. 2. 3. seq.

**S**I quisquam est, qui miretur, Deum ex Deo potuisse generari & proprio *Sapientia* cognomine appellari, is, si sacra Prophetarum carmina cognoverit, desinet. Nam ut alia oracula, quæ viso in terris Christo patefacta sunt, omittam, in præsentia quidem satis firmum testimonium erit, quod a SALOMONE (a) ad probandam veritatem perhibetur. *Sapientia victimam suam immolavit, vinum libavit, instruxitque mensam, & dimissis pedisequis suis, clamat ex urbis arce summa: qui imperitus est, huc divertat: aman.*

(\*) Confer. de eodem Parentis mei τὸ μακαρίτη, Cornelii HASÆI, dissert. de Convivio supremæ sapientia, quæ exstat in *Thesauro Di. Amstelodamensi* T. I. p. 674. sqq.

(a) Proverb. X. 2. 3. 4.

amantes adeste, (inquit eis,) vescimini meo pane,  
 meaque libationis vinum bibite. Equidem Judæi  
 recentiores aperte & palam dicunt, nihil  
 quidquam hoc in loco esse, quod ad Chri-  
 stum pertineat; sed nobis in proclivi est, pau-  
 corum hominum prave sentientium menda-  
 cia clarissimis Majorum suorum redarguere  
 & labefactare suffragiis. Quemadmodum enim  
**JUSTINUS M.** (b) juxta cum aliis suæ ætatis  
 hominibus in divinitate numeros ponit, &  
 sapientiam a Patre numero quam essentia  
 distinctam esse mavult; sic etiam Judæi de  
 numeris, quos ספירות appellat, loquuntur,  
 quotiescunque simplicem æterni Numinis U-  
 nitatem, quæ distincta eadem & vera Trini-  
 tas sit, innuunt. Et quamvis vocabulum il-  
 lud Hebraicum amplè admodum notionis sit  
 (nam, ut **ANDR. MULLERUS GREIFFEN-  
 HAGIUS** perhibet (c) **REUCHLINUS &  
 SCICKARDUS** numeros intelligunt, contra  
**RITTANGELIUS** tres sphæras, vel potius  
 τρεῖς αὐγὰς tres radios interpretatur) nihil ta-  
 men obstat illa appellationum diversitas, cum  
 ipsa significatione & re vera ad unum omnia  
 resolvantur. Forsitan quispiam dixerit: ne  
 hoc quidem modo rem expediri, sed adeo ni-  
 hili esse, ut, qui Judæorum de numeris illis  
 verba inspexerit, mera ænigmata esse existi-  
 met.

(b) In Dialogo cum Tryphone Judæo.

(c) In notis ad excerpta Azizi Nesebai Tartari a Fa-  
 bricio in Bibliogr. antiq. laudatis.

met. Enimvero sint licet (ut generatim atque univérse loquar) Judæis decem *sephiroth* sive numeri, tantum tamen discrimen in iis positum credunt, ut tres priores *sephiroth* personas divinas designent, reliquæ septem nomen מורה sive mensurarum obtineant, atque unius Dei explicationem per varia attributa & ἀξιώματα instituenda suppeditent. Ita quidem certe sensit R. MENACHEM de REKANATI apud RITTANGELIUM (d) & celeberrimum MEYERUM (e) dicens: *tres primariae numerationes, quæ sunt intellectuales, non vocantur mensuræ*: Fatendum tamen est secundum alios KIRCHERI (f) indicio ipsas in divinitate ὑποστάσεις per tres מורה intelligi: ut ne addam a sententia, de qua paulo ante commemoravi, & quam mecum ALLIXIUS, (g) MORUS (h) & BÜDDEUS (i) tuentur, VITRINGAM (k) atque OLEARIUM (l) longius discedere. Ajunt omnes *sephiroth* nullo facto discrimine ejusdem indolis esse, nihilque aliud, quam summas unius Dei virtutes ob oculos ponere. Equidem ego plane existimo

(d) In notis ad *sepher Ietzirah*. 193.

(e) In *fundamentis Theol.* p. 298. seq.

(f) In *Obelisco* p. 464.

(g) In *judicio Ecclesiæ ant. Judaicæ adv. Unitar.* pag. 38.

(h) In *epist.* apud auct. *Kabb. denud.* P. II. p. 54.

(i) In *introd. ad histor. philos. Hebræor.*

(k) *Lib. I. observ. cap. II. §. 5. p. 136.*

(l) In *observat. ad Matth.* p. 219.

existimo, neque *tabulam Sephirothicam*, quæ in primis quoque R. ISAACI LORIENSIS est, & doctissimis hominibus a nobis dissentienti consilium dedit, justis rationibus subnixam esse: & si forte quis confutare exacte omnia in rebus obscurissimis neque possit, neque velit, recte tamen atque ordine facturum esse, qui neque assensum his præbeat, & amplius deliberandum esse existimet. Porro autem id mihi omnes concedere puto, nullam in toto hoc genere disceptationis certiore esse auctoritatem, quam quæ armariis & scriniis veterum Judæorum innititur. Jam pridem *Esaias* (m) cecinerat, futurum, ut in Christo Spiritus sapientiæ & intelligentiæ resideret: atqui R. SALOMO JARCHI (n) fatetur חכמה sive Sapientiam, quæ secunda est Sephirah, individuum Messiaë & dictum & habitum iri comitem. Quid R. JOSEPH BEN GEKATILIA? nonne *Esaiæ* vestigiis insistit, & hoc idem affirmat? sic enim (o) ait: *Judei, cum Deum habeant iratum, longe miserrimi erunt, usque donec Messias Sapientiam secum conjuncturus in terram veniat. Quo facto Spiritus gratiæ & misericordiæ a prima Sephirah (Patre videlicet) emanabit, & adeo, quod maximum est, violati Numinis injuriam compensabit. Neque ad rem quidquam facit, quod Sapientia illa*

(m) XI. 2.

(n) Ad dictum *Esaiæ* locum.

(o) apud *Allixium* l. c.

illa a Salomone ראשית sive principium esse dicitur: (p) nam vel ipse ONKELOSUS homo summæ auctoritatis, primæque inter Judæos sententiæ litem facile componit, & quomodo ראשית accipi debeat, ostendit. Poterat ille quidem interpretando vocem קדמיתה usurpare, sed, cum hæc solum temporis finiti denotaret initium, illam alteram בקדמין posuit, quippe quæ æternitatem, nulla temporis circumscriptione metiendam exprimit. In Targum Hierosolymitano secundum BRAUNIUM (q) verba prima Mo- sis ברשית &c. significanter admodum redduntur: " בחוכמת ברא per sapientiam creavit. Et quid multa? id ipsum R. NECHOUNIAH BEN CANA, & auctor libri Rabboth apud MENACHEMUM (r) exsertis verbis nos edocent. *Sapientia, inquit, in rerum omnium fabricatione Deo adstitit; eadem secunda Sephirah est, quæ e prima tanquam e fonte emanabat, ut hæc omnium bonorum scatebra indidem exorta in animos hominum influat.* Jam hæc summa, ut cum LACTANTIO (s) dicam, hic cardo rerum erit, quem qui non tenuerit, ei omnis elabatur veritas: certe Joannes in Evangelii sui non Paraphrastarum Judæicorum, non Philonis, Platoniorumque rivulos consectatur, sed intento ad hanc Salo-  
mo.

(p) Proverb. VIII. 22.

(q) In comment. in Epist. ad Hebr. p. 700.

(r) In Pentateuch. fol. 1. col. 1. & 2.

(s) Lib. VII. institut. divinar. §. 5. p. 792.

monis Sapienciam digito, eandem τὴ λόγῃ  
 ὑποσηκῆ nomine laudat luculentissimus post  
 tot secula Salomonis interpres. Nolo ube-  
 riores hanc in rem VITRINGÆ (t) obser-  
 vationes decerpere; *sed venio nunc ad pedisse-  
 quas, quæ Sapiencie in convivis advocandis ancil-  
 lari dicuntur.* Nimirum igitur Christus, qui  
 sub emblemate fæminæ, hoc est, summæ sa-  
 pientie proponitur, circa se habet ancillas,  
 quibus perquam familiariter utitur, quibus-  
 cum amicitie habet consuetudinem. Sapi-  
 encia quidem suis firmata præfidiis, suis tuta  
 & beata est opibus; fidelissimorum tamen  
 hominum ministerium tantum abest, ut asper-  
 netur, ut iis tanquam præcipuis suæ dignita-  
 tis ornamentis carere nolit. Mos erat anti-  
 quus mulierum nubentiû observante DOUG-  
 THÆO (u) ut inter cæteras res dotales,  
 quibus pro disparis conditione census ducen-  
 tem augebant, dotale insuper famulitium una  
 secum e paterna domo adducerent. Sic Lea  
 comitante ancilla sua Zilpa, sic Rahel postea  
 non sine Bilha sibi ministratura in familiam  
 Jacobi futuri conjugis transiit. Quod vero  
 virgines a Sapiencia nuptura nunc quoque in  
 partem quasi curarum vocantur, hoc ipsum  
 non est de nihilo: quippe sanctissimo illo ap-  
 pellantur nomine, qui primæ ecclesiæ vesti-  
 gia legunt, qui a mundi communione se segre-  
 gant,

(t) ad Apocal. XIX. 13.

(u) P. I. anal. S. p. 32.

gant, & nulli alii viro præterquam Christo  
 constanter adhærent, ut vel ex his Joannis  
 (x) intelligi datur verbis: hi sunt qui cum fœmi-  
 nis non sunt polluti, sunt enim virgines: hi sunt,  
 qui agnum, quocunq; vadat, sequuntur. Injecta videli-  
 cet scortationis & adulterii spiritualis mentione,  
 apparet hic loci, isthoc tempore, quo puellæ a  
 Sapientia mittendæ erant, superstitionem latius  
 serpendo, manando ad perniciem ecclesiæ mul-  
 tas occupaturam provincias; eos tamen, qui  
 se a peccantium multitudine separarent, illius  
 vitii suorum temporum fore expertes. Hac  
 mente additur quoque ratio, virgines illos  
 esse, hoc est, ut VITRINGA (y) exponit,  
 virginum instar castos & puros, castam profi-  
 teri Evangelii doctrinam, castum exercere cultum &  
 charitatem *α' υπ' ομοθυμιας*, soli Deo in Christo obno-  
 xios, divinæ auctoritati soli se subicere, præjudiciis  
 scholarum illius temporis superstitiosis & erroneis  
 non esse infectos, casto & puro amore solum com-  
 plecti Christum, vitam moresque suos secundum  
 castam & simplicem Evangelii doctrinam componere,  
 qualem Paulus perfectam Christi sponsam (z) de-  
 scribit, quæ licet sit Christi uxor, non desinit esse  
 virgo. Illud vero, cum FERRARIO (a) in  
 primis aqua hæreret, quæri cœptum est, cur  
 adolescentulæ tam castæ, tam verecundæ,  
 tam incorruptæ modo in tumulorum vertice, (b)

modo

(x) Apocal. XIV. 4.

(y) in comment. in Apocal. p. 869.

(z) Ephes. V. 27.

(a) Lib. III. de ritu vet. concion. cap. I. p. 324.

(b) Proverb. VIII. 2.

modoe pinnaculis montium, aut collium urbis pretereuntes inelamarint? Mihi quidem, cum in causam inquirerem, optima visa fuit, quam ex ejusdem VITRINGÆ (c) observationibus eruere licet, cum in hunc modum infit: similitudo in hac locutione videtur desumpta ab eo, quod Salomonis aetate cultores literarum edita urbium, aut agrorum loca elegerint, in quibus scholas suas aperirent. Ultrique Propheta, qui occurrebant Sauli (d) de colle de, haud dubie sic dicto, quod Prophetarum schola ibi fuerit, descendunt, quemadmodum & schola prophetica erat Najothis in Rama. (e) Najoth videtur fuisse locus vicinus urbi Ramæ in loco alto condita (f) adeoque ad illam pertinens campus suburbanus, ubi cœtus prophetantium vel ordinariam commorationis suæ sedem habebat, vel quo saltem cum discipulis suis Samuel aut animi, aut meditationis gratia solebat secedere. Paraphrastes Najoth reddit per בית אולפנא domum doctrinae, notatque habitationes, sive ediculas: sic vero denominatum hoc gymnasium arbitrator, quod Prophetarum domicilia varia, quæ cellulas alii dicerent, comprehenderit. Hæc vero gymnasia in montium pinnaculis exstructa significabant Ecclesiam tam illustri gloria ultimo N. T. tempore fulsuram, ut omnium hominum per orbem terrarum oculos in se conver-

(c) Lib. I. P. 2. cap. 6. de vet. synag.

(d) I. Sam. X. 5.

(e) I. Sam. XIX. 19.

(f) Id enim ipsum vocabulum בית indicat.

versum neminem nisi volentem, lateat. (h)  
 Atque isthæc cum ita sint, tanto magis fateor,  
 nihil tempestivius ac convenientius, nihil  
 melius ac copiosius dici atque affirmari; nisi  
 forte addere placeat, & scholas, & ambula-  
 tiones & omnia Prophetarum compita æter-  
 næ Sapientiæ, sive ipsius Christi doctrinis  
 personuisse: qua de re apprime notatu digna  
 sunt hæc LIGHTFOTI (i) verba: erant  
 scholæ Prophetarum *Academiolæ* quædam & collegia  
 studiosorum: Rectorem habuere venerabilem ali-  
 quem Prophetam spiritu S. afflatum & participem  
 revelationum, discipulos non spiritu quidem eodem  
 Prophetico afflatos, sed Prophetica ab ore magistri  
 imbibentes: illis revelavit ille sibi revelata de vo-  
 luntate Dei & statu populi, de temporibus & even-  
 tibus Israël, & supra omnia de mysteriis Evange-  
 licis, de Messia, ejus adventu, temporibus, mor-  
 te, resurrectione & ab eo præstandis. In his Aca-  
 demiolis de salute accurate inquisiverant Prophetæ  
 (quod ait (\*) Apostolus Petrus] qui vaticinati  
 sunt de gratia ventura, perscrutantes quodnam &  
 qualenam tempus illud esset, quod a Spiritu Chri-  
 sti, qui in iis erat, fuit indigitatum, cum passiones  
 Christi prædiceret & gloriam subsequituram. Hæc,  
 mero & nudo legis studio non expiscanda hic doce-  
 bantur, & sic conjuncta studia legis & Evangelii com-  
 pletum reddiderunt ministerium verbi divini. Num-  
 quid

(h) Esaiaë II. 2. collat. Matth. V. 14.

(i) Centur. chorograph. *Matthæo* præmissa cap. 97.  
 p. 165.

(\*) I. Epist. I. II.

quid igitur temere fecisse putantur ancillæ, quæ  
 Sapientiæ jussu prætereuntes ex editis urbi-  
 um locis alloquuntur? Minime gentium.  
 Nam, quod Salomo nec simpliciter nec aper-  
 te proferre voluit (mens enim ipse veluti  
 oraculi suspensa & ambigua indagine perqui-  
 renda erat) id LIGHTFOTUS, cum ad in-  
 teriorem orationis sensum ventum est, bre-  
 viter ac summatim in uno conspectu posuit.  
 Hoc igitur probe stabilito & fixo, illud execu-  
 tiendum est, *quid sit sapientiæ pane vesci & liba-  
 tionis vinum bibere*, ne relinquatur aliquid er-  
 roris in verbis. Scilicet, cum hæc verbo-  
 rum translatio permovendis animis, & si-  
 gnandis rebus, ac sub oculos subjiciendis re-  
 perta sit, nihil antiquius, teste MAIMONI-  
 DE, (k) Hebræis fuit, quam ut veram sapi-  
 entiam, optimum animorum pastum dice-  
 rent, & cum cibariis, quibus corpora nostra  
 aluntur, satis scite compararent. Nam, ve-  
 lut escis & potionibus corporum reficimus &  
 firmamus vires; haud secus doctrinæ omnia  
 suppeditant, quibus, si recte sapimus, & vi-  
 tam meliorem, & spiritum ducimus. Plura  
 hanc in rem movent PHILO, ORIGENES,  
 ipsique scriptores sacri, quos indicant GRO-  
 TIUS, (l) WINDETUS (m) & LAMB.  
 Class. VI. Fasc. V. H h h BOS

(k) de fundamentis legis cap. IV. §. 20.

(l) in fine dissertat. an semper communicandum per  
 symbola?

(m) de statu anim. defunct. sect. VII. p. 186.

BOS (n) sed vel hæc in re nota delibasse suffecerit ad alia pergenti. Cumque adeo epulis illis cœlestibus nihil sit dulcius ac magis saporum, nihil, quod plus homines juvare possit, nemini mirum videatur, si sapientia multi cibi hospites adesse jubeat, hoc est, si mentes humanas discendo velit ali & sustineri. Non est enim Dei regnum cibus & potio, sed justitia, & pax & gaudium in spiritu sancto; (o) maxime cum Christus & ara & victima existat, ex qua cibum (p) capiendi habemus potestatem. Siccine, inquires, Sapientiæ est sententia? sic: nam, ut summam eorum, quæ ex infinita copia dici poterant, faciam, epule illæ omnibus rebus instructæ primo *adumbrant beneficia gratiæ, quæ vi justitiæ Christi ad satietatem & hilaritatem Ecclesiæ in novo fœdere exhibentur, secundo illorum beneficiorum communionem innuunt, novissime letitiam & festivitatem commendant, quæ cum uberrimo bonorum gratiæ fructu conjungitur, & ex eo ad convivas redundat.* Atque cum ita omnia omnium sint communia (nam sapientia se totam singulis elargitur & pandit) non tamen alteri quidquam decedit, nec abest; & hoc ipsum esse sentimus summum bonum, quod singuli totum ita habent, ut apud omnes tantundem sit. Fortasse quispiam nunc re-

- (n) in exercitationib. S. p. 92. ad Rom. I. II.  
 (o) Rom. XIV. 17.  
 (p) Hebræor. XIII. 19.

quirat, quando ista solennis ad cœnam invitatio futura sit? Et vero nefas est promissionem illam intra temporis alicujus limites arctare, ut impleta existimetur, cum Christus ad dextram divinæ majestatis evectus Ecclesiæ pomœria inter Judæos satis angusta proferret, & instructo convivio omnium gentium homines advocaret. Quamvis enim fateamur multa Judæorum millia illa ætate credidisse, (q) tamen ii tam pauci erant numero ad cæteram impiorum multitudinem collati, ut Stephano dicendum fuerit (r) *duri cervice, & animo & auribus incircumcisi: vos semper spiritui sancto contravenitis, itidem ut majores vestri.* Esaias (s) eadem tempora describens modo torpentes animos, modo aures obtuse audientes, modo oculos exprobrat, ut si populi pervicacissimi desperaret saluti. Et quisquam in animum inducet, ut tam blandam liberalemque Salomonis, tam duram diramque Jesaiæ prophetiam ad eundem populum eodem tempore referat? ad eone tempus iræ & gratiæ in eandem compingemus periodum? nihilne aliud amplissimo hoc Salomonis sermone populo Israëlitico promissum autumabimus, præter id, quod tunc ei concessum est, quando ipse a Deo,

Hhh 2

Deus

(q) Actor. XXI. 20.

(r) Actor. VII. 51.

(s) LIII. I. VI. 9. 10. coll. cum Joann. XII. 38. Actor. XXVIII. 25.

Deus ab ipso alienatus fuit? Sed videlicet, qui ita sentiunt, operam ludunt, siquidem pugnantia secum frontibus adversis componunt. At, si gentes alias spectemus, magno concursu ad cœnam illam sapientiæ properatum est? ego vero nego implementum illo tempore quærendum esse, maxime cum nihil inveniam, quod tam magnificæ pollicitationi sapientiæ satisfaciatur. Cœpta equidem est invitatio per Apostolos & eorum comites institui, sed eadem restrictior fuit WITSIO judice (t) tum propter mundi amplitudinem & humanæ vitæ brevitatem, tum quod multarum gentium notitia eo tempore deesset, uti Americanarum omnium. Adde quod inter dubiarum rerum vicissitudines mox scientiæ salutaris lux, & sanctimoniæ fervor, & vivida illa atque vegeta prisca Christianismi simplicitas multum imminuta fuit: quid vero boni exinde habuit ecclesia? quid non potius molestiæ & calamitatis? ipsa usque adhuc est imago imbecillitatis, ærumnarum scena, laborum officina. Cum itaque ostendi non possit, ea quæ Sapientia promisit, præstita esse, neque tamen promissum ejusdem fallat, interdici nobis non debet, quominus in futura id exspectemus tempora, ut illibata Sapientiæ & bonitatis & veritatis suæ maneat gloria. Nimirum mea sic est ratio, & sic animum induco meum, fore, ut pacato terrarum

(t) lib. IV. Oeconom. cap. 15. §. 21. pag. 364.

rum orbe, Judæis in pristinum gratiæ locum apud Deum restituendis nova lux affulgeat, & fides Christo innixa majorem efficaciam & vim quam unquam antehac iterum exserat. Ut ut erit (nam modestiæ pro eo ac decet, litamus) tunc sine dubio plurima scripturarum vaticinia eventum sortita melius intelligentur, & quæ nunc Judæis obscura sunt ænigmata, tunc intellectu facilia erunt, viamque ad Deum communient. Nec tamen Judæi soli confertim ad Christum redibunt, sed & gentes multæ, in quibus Christi nomen jam dudum exoleverat, iterum ad erectum illud salutis vexillum confluræ videntur. In *Asia*, inquit WITSIUS (u) in *Africa*, inter *Persas*, *Turcas*, *Indos*, *Chinenses*, *Japonenses*, *Tartaros* immensa ferme Judæorum multitudo degit. Quando ergo hi potenti Dei manu ad communionem *Messie* tracti, eo ardentius illum diligunt, quo antea acrioribus adversus eum odiis flagrarunt, annon plusquam probabile est, gentes, in quarum medio degunt, exemplo, monitisque eorum excitatas in ejusdem fidei societatem venturas esse? Sane ita est: huc nos verba Salomonis ducunt, huc etiam spectat Christi servos extremis temporibus dimittentis oratio: (x) dicite invitatis, me meum parasse prandium, meos juvencos & altilia esse mactata & omnia parata, veniant ad nu-

Hhh 3

pti-

(u) I. c. §. 35. p. 871.

(x) Matth. XXII. 4.

(y) XXV. 6.

ptias. Et quid evidentius est illis *Esaiæ* (y) vaticiniis: *habebit Jehova populis omnibus in hoc monte adipatum, defacatumque convivium, in quo convivio medullarum adipem apponentur, & fax erit expressa. Heus! (z) quicumque sititis, venite ad aquam, & qui pecunia caretis, venite emptum, quod edatis, venite emptum nulla pecunia, aut pretio vinum atque lac. Cur ita pecuniam impenditis, ut tamen victus non comparetur? aut laboratis, non unde satiemini? audite me, & bonis vescemini & opimis deliciis fruetur appetitus vester. Præbete aures, & venite ad me, audite, & vivet anima vestra, feriamque vobiscum fœdus æternum fidei Davidis benignitate.* Quorum verborum vi & potestate commotus **PETRUS MARTYR** dixit: magnam sane fore felicitatem Ecclesiæ omnes ferme Prophætæ scribunt, præsertim *Esaias*, quam nondum habuisse, sed nunc habituram (Judæis & gentibus ad Christum conversis) est verisimile. Et **LACTANTIUS** (a) pro illorum temporum captu satis commode scripsit: *sic extincta qui malitia, & impietate compressa, requiescet orbis, per tot secula subjectus errori ac sceleri nefandam pertulit servitutem. Sed & (b) genus omne impiorum radicitus interibit, nec erit in hoc mundo ulla jam natio amplius, præter solam gentem Dei.* Hæc sunt, quæ nullo equidem alio animo expendenda dare lubuit, nisi quod divinæ gloriæ, ac piorum omni-

(z) LV. I. 3.

(a) lib. VII. institut. div. §. 19. pag. 856.

(b) conf. *Lactant.* l. c. §. 26. pag. 881.

omnium interesse arbitramur ne ea prorsus ignoremus, quæ Dei sapientia se aliquando effecturam esse prædixit. Si cui tamen hæc minus liquida esse videantur; nostrum non est fidem imperare, quam solus Dei spiritus per humilem mansuetamque verbi sui meditationem animis ingenerat. Modeste interim præstolemur, quid parturiant fata, vel animo saltem & votis ea optemus, quæ nondum capere licet, siquidem in ipsa expectatione atque in votis quædam vis inest mentis & incitatio. Consimilia pene, atque in eandem sententiam sunt, quæ ex CASTELLIONE (c) intelligimus: *Fatendum omnino est, inquit, multa atque adeo maxima in oraculis promissa nondum esse perfecta: cujus rei ignoratio in causa est, ut Dei dona admodum jejuna, exilia, & macra faciamus & vatum oracula pleraque inepte, ne dicam ridicule, interpretemur, dum, quæ futura sunt, & non nisi ab iis, qui vel divinitus, vel rei eventu sint edocti, possunt intelligi, ea & sine spiritu & sine eventu declarare conamur, metuentes videlicet, ne quid ignorare videamur.*

(c) in dedic. versionis Biblior. ad *Eduardum VI.* Angliæ Regem missa.

G. OUTHOVII,

Dissertatio

De *Messia*

*principatu super humerum ejus.*

ad Esa. IX: 5.

וְהָיָה הַמְּשָׁרָה עַל-שִׁכְמוֹ

ARGUMENTUM.

Paraphrastis Chaldæi interpretatio illustrata, at hoc loco rejecta. §. 1. De voce מְשָׁרָה, *principatus*, unde *Saar* vel *Czaar*. §. 2. attribuitur porro Christo potestas gubernandi. §. 3. Humerus Hebr. כֶּתֶף, vel שִׁכְמוֹ, unde hæc ult. vox derivatur, & ratio derivationis, allusio ad hanc radicem in nomine urbis Sichem. §. 4. Voces *humerus* & ὤμῳ, unde dictæ. §. 5. Porro explicatur phrasis textus a quibusdam πορφυρογέννητον. quomodo hoc nomen de Christo dici posset. §. 6. Aliorum explicatio de gladiis tempore Heroum ex humero suspensis, quæ rejicitur, §. 7. Alii respiciunt ipsum balteum, circa humeros, ut symbolum regis dignitatis. §. 8. Conferuntur apoc. 3: 7. & Esa. 22. præfecti aulæ insignes dignitatis ornamentis §. 9. Clavis symbolum potestatis. Claves servatæ apud Tribunum militum, apud Magistratum, in manu Jani. Quatuor claves in manu Dei quid notent? §. 10. Claves symbola gubernationis traditæ novæ nuptæ, §. 11. Gestabantur a servis, traditæ sacerdoti. Claves regni cælorum da-  
tæ

tae apostolis, §. 12. Clavis an epomidi intexta, claves etiam ipsis humeris impositae, quod illucidatur ex granditate clavium, quae erant falcatae, curvae, magnis manubriis, & sic humeris impositae, unde lux loco nostro. §. 13. Qui porro explicatur, in quem finem primo ostenditur humeros esse aptos gestandis oneribus: §. 14. In humeris est hominis robur. Humeri heroum validi, &c. Symbolum fortitudinis: Messias sat virium habebat ad regnum suum stabiliendum. §. 15. Humeris portare, gubernare: sic Messias esset Rex, §. 16. Humeris suis portare, notat ipsum gubernare, non per alios. sic Christus solus regnaret, abrogatis Diis dictis. Locus Col. II: 15. explicatus. §. 17. Humeris portare est fideliter curare instar *pastoris* fidi, qui oves humeris portat. principes sunt *pastores*; sic Christus bonus ac fidus pastor est, §. 18. Tandem ostenditur veteres omne excellens, humeris imposuisse, illustratur Tob. 31: 36. & sic dignitas principatus Messiae indicatur. §. 19.

§. I.

**I**N Targum Jonathanis hic textus sic exponitur, וְקָבַל אֶת־חֻמְתָּא עֲלֵיהּ לְמַטְרָה  
i. e. *§ suscepit legem super se, ut servaret, vel custodiret, eam.* Certe magna discrepantia. At licet hic Targumistes a textu hebraeo discedat, videtur tamen de Messia loqui, quum sequentia verba hujus commatis ita reddit, *vocabitur nomen ejus a facie Admirabilis consilii Deus, vis permanens in aeternum, מְשִׁיחָא, Messias seu Christus, cujus pax multiplicabitur super nos in diebus ejus.* Gaudemus, Judaeum hic invenire Christum, ubi Christiani quidam eum non invenire possunt, seseque in hac re ipsis Judaeis caeciores ostendunt.

dunt. Et licet hujus Targumistæ interpretationis, hoc in loco non sim assensor, verissimum tamen est, nostrum Messiam suscepisse legem super se, ut servaret eam. Idcirco & hoc versu quoque vocatur *ץץ consiliarius*, qualis est, quando per prædicationem Evangelii consilium dat electis, de ratione consequendi vitam æternam, nobisque sapientia factus est a Deo, at qualis erat, quum ab æterno cum patre illud consilium pacis iniit, de implenda lege Dei pro peccatoribus electis, quorum causa in plenitudine temporis venit, *γενόμενος ὑπὸ νόμου* seu *ὑπὸ νόμου* ut in Complutensi exemplari legitur, Gal. 4: 4. & quare Lex Dei dicitur *בלבו* in corde ejus, Ps. 37: 31. sicuti ipse fatur Ps. 40: 8. 9. *עמנלה ספר* in volumine Libri, scriptum est de me, ad faciendum voluntatem tuam, Deus mi, volui, & Lex tua est in medio viscerum meorum. cf. Matth. 5: 17. Ecce! sic Messias noster Legem Dei super se suscepit, sic eam 2, perfecte implevit, sua obedientia tam activa quam passiva, ut nemo ipsum unquam de peccato arguere potuerit, quoniam nunquam peccatum fecit, nec dolus in ipsius ore inventus est, 1. Petr. 2: 22. Sed habitu compertus ut homo, ipse se submitit, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, Phil. 2: 8. Hæc omnia ad mentem Chaldæi interpretis ita exposita in Messia nostro verissima sunt. Et certum quoque est, Christum hæc omnia prius debuisse implere, antequam re-

regno suo potiri poterat, uti ipse loquitur  
*Luc. 24: 26.* Verum tamen hoc nostro lo-  
 co hac de re propheta proprie non loqui-  
 tur.

§. 2. Sed dicit propheta de puero illo nobis  
 nato, & Filio nobis dato, תהי המשרה על שכמו  
 est, vel erit; principatus, seu dominatus, seu  
 אַעֲרָא, imperium, super humerum ejus. Notum  
 enim est vocem heemanticam משרה, prin-  
 cipatus, esse a radice שרה Sara, i. e. do-  
 minari, principatum habere, principem se gerere  
 &c. idem fere ac שר, atque שור, unde  
 שר, Sar, vel Saar, princeps, dux, שרה  
 Sara princeps domina, uti Abrahami Patriarchæ  
 uxor dilecta nominabatur שרה Sara, uti  
 & inde Moscovitarum Dominator appella-  
 tur Saar vel Czaar.

§. 3. Et sic attribuitur hic nostro Messia  
 potestas & authoritas gubernandi, rerumque  
 moderamen, quo cunctis dominaretur oris,  
 quoniam ut שר שלום princeps pacis gentibus  
 pacem loqueretur, משרו potestas ipsius esset,  
 a mari usque ad mare, a fluminibus usque ad fines ter-  
 ra, uno verbo, ubique terrarum. Non enina  
 Judæorum tantum, sed & Gentium Rex esset,  
 & imperium suum ad ipsos Græcos ac Barba-  
 ros proferret, quotidieque novis accessibus  
 augetet, sceptroque suo cunctas nationes, seu  
 cunctæ terræ varios adjungeret populos, ipsi  
 enim esset יקרה עמים obedientia populorum,  
*Gen. 49: 10.* Vide *Pl. 72: 8, 9, 10, 11.* Uno  
 ver-

verbo magnus ac potentissimus esset Regnator, qui corona aurea, ornatus, atque celsior ipsis cœlis in regia sella nobile dextra torqueretur, unde acutas suas emitteret sagittas, quæ in corde inimicorum suorum essent, *Psal.* 21: 4. & 45: 7. *Hebr.* 7: 26.

§. 4. Sed notabile jam est, quod hic principatus esset על-שכמו, *super humerum ejus*. Humerus hebræa lingua etiam vacatur כתף, cui imponitur jugum, ac onus portandum, unde *1. Paralip.* 15: 15. dicitur, וְיִשְׂרָאֵל יָשָׁא בְּכַתְּפֵי הָאָרְכָּה לְפָנֵי הָאֱלֹהִים *portabunt filii Levitarum arcam Dei בכתפם humero suo, vetibus sibi impositam*, ubi Chaldeus quoque habet על-כתפיהו in humeros suos; at Interpretes Græci, hic habent, κατὰ τὴν γαστήρ, unde videtur, eos fortean in textu legisse non בכתפם humero suo, a כתף, *humerus*; sed ככתבה, *secundum scripturam suam*, ut *Esth.* 1: 22. א כתב, *scripsit, scriptura*. Et hinc iterum patet, variantes lectiones τῶν δ non semper pendere a libris non punctatis, uti vulgo dicitur, sed & a mala lectione vocum ipsarum, uti indifferat, in *Psal.* 2: 6. hujus *Bibl. Cl.* 2. *fast.* 2. p. 270. 271. quoque monui, sed hoc ἐν παρόδῳ.

At hic extat vox שכם, *humerus*, unde Cel-  
Coccejus deducit verbum Hiphil השכים, *mature agere, prævertere*, ita dictum fortean a nudando vel exserendo humero. Verum uti radix inusitata שכם, in Hiph. השכים notat *matutinare, diluculare*, uti Buxtorfius pa-  
rum

rum proba latinitate vertit, seu *mature surgere*, aut *mature se erigere*, sic inde deducere hanc vocem **כַּו**, *humerus*, pars corporis *rectior*, in quam cervice desinit, sic dicta, quod ea surgendo e lecto erigatur, uti pandicantes faciunt, quum mature aut diluculo humerum de lecto erigunt: licet alii hanc quoque derivationis rationem dent, quod *humerus* sit suprema pars corporis excepto saltem capite, sicuti *mane* est summa pars diei.

Porro cum ab hoc verbo denominata videtur urbs **כַּו** *Sichem*, in limitibus Manasse, in sorte & ad montem Ephraim, *Jos. 17: 7. 20: 7.* ubi habitatio ac sepultura Patriarcharum fuit, uti *Gen. 12: 6. 33: 18. 19. 34: 2. Jos. 24. 32.* & alibi videre est, sub hoc etymo **כַּו**, *matutinae surrectionis*, quam radix indicat, recordari potuerunt Patriarchæ fideles resurrectionis è pulvere terræ, cum venerit oriens ex alto die summo.

§. 5. Latina vox *humerus* Isidoro dicitur ab *armis*, quasi *armerus*, quia in homine id sunt *humeri*, quod in bestiis *armi*. Sed est potius, dicit Vossius, *humerus* a Græco *ἄμος*, more Spartano *s* in *r* converso, ut sit *ἄμαρ*, unde *umerus*, seu *humerus*. Vide Vossii *Etymolog.* p. 254. Et græca vox *ἄμος*, vulgo deducitur ab *ἄνω*, *fero*, quia humeris onera ferimus. Sed quare non potius derivatur ab hebræo verbo **אָמַר**, *amas*? i. e. *onerare*, *onus imponere*, uti  
 sic

fic humeris onera portanda imponuntur, sicuti occurrit *Neb. 13: 15. Gen. 44: 13. & alibi.*

§. 6. Sed de vocibus ad rem ipsam venimus. Admodum jam disputant viri docti de ratione hujus locutionis, *principatus erit super humerum ejus.* Grotius explicat per *πορφυρογεννητον*, quod ab ipsis cunis purpuram ferret regiam, in regnum natus. De qua voce vide C. du Fresne in Gloss. Gr. p. 1206. Sic apud Constantinopolitanos dicebantur imperatorum Liberi, quasi *in purpura*, id est, patre adhuc imperatore, nati, unde *fili purpurati & purpurata infantia.* Uti sic Constantinus VI. aliis VII. *porphyrogenitus* appellabatur, & uti olim Xerxes apud Justinum *lib. 2. cap. 10.* cum fratre Artemene controversiam habens de jure successionis in regno Persarum, dicebat, *fratrem quidem primum Dario, sed privato provenisse, patre nondum rege facto, se vero regi primum natum, i. e. se natum esse, cum pater Darius jam rex esset, addens ideo, se esse, quem primum in regno jam rex pater sustulerit, imo fratrem suum procreatum esse, non patre tantum, sed & matre privata adhuc fortuna, quoniam natus erat Artemenes ex prima Darii uxore, filia Gobriæ, qui unus ex septem μαροφόνους, se vero, Xerxem nempe, ex matre regina, Atossa filia regis Cyri, Darii secunda uxore, natum, & patrem non nisi regem vidisse, ergo quoque πορφυρογεννητον, in purpura*

pura natum. Sic quoque Commodus Imp. pessimus ille filius optimi parentis, nempe M. Aurelii Antonini Philosophi, uti putatur, (nam alii referunt matrem Faustina, amore gladiatoris cujusdam deperditam, ipsum non ex legitimo concubitu, sed ex adulterio genuisse) in alloquio ad milites hæc verba quoque faciebat, ἔδωκε δὲ μετ' ἐκείνον ἐμὲ βασιλέα ἢ τύχη &c. id est, ut Angelus Politianus hos Commodi superbos sermones apud Herodianum *Lib. 1. c. 5.* Latine reddit; *Nunc me post illum vobis Fortuna principem dedit, non quidem adscititium, quales ante me fuerunt, neque velut acquisito imperio gloriantem: quippe unus ego vobis natus educatusque in aula, privatisque intactum cunabulis, statim me, ut ex alvo prodieram, imperatoria purpura suscepit, simulque solus hominem me vidit & principem.* Hæc cum animis vestris reputantes jure principem colite, non datum vobis, sed natum. Nam pater quidem, jam in cælum evehctus, consors est confessorque Deorum, nobis autem orbis terrarum gubernacula rerumque humanarum cura incumbit. Certe, hæc magnifica Commodi verba majori jure de Christo dici possent, qui Matre regia ex stemmate Davidis, & Patre cœlesti Imperatore summo natus, imo nobis natus, simul atque datus dicitur, & τοῦ βασιλέως τῶν Ἰουδαίων, natus rex Judæorum, appellatur, & quem in ipsis cunabulis Magi ex oriente regalibus muneribus auro, thure & myrrha, hono-

honorarunt, *Matth.* 2: 2. 11. imo cui Dominus Deus dedit solium Davidis patris ipsius, qui que regnaret super Domum Jacobi in eternum, & cujus regno finis non esset, *Luc.* 1: 32. 33. Tamen non aridet mihi hæc Grotiana expositio hoc loco nostro.

§. 7. Alii aliam hujus Locutionis dant rationem. Nempe mos fuit priscus, ait Lipsius, in notis ad Taciti *annal.* Lib. 1. c. 35. p. m. 51, gladium ex humero suspendere, & dimittere ad latus, uti de Agamemnone loquitur *Homerus iliad* β. vs. 45.

Ἄμφι δ' ἄρ' ὤμοισιν βάλετο ξίφος ἀγυρόηλον.

*Circum antem humeros possunt ensẽ argenteis clavis.*

& *Odyss.* β. vs. 3. de Ulyssæ ait,

Ἐμπατα ἑσσάμενος, περὶ δὲ ξίφος ὄξυ θέτ' ὤμῳ,  
*Vestes induens, gladiumque acutum suspendit ab humeris.*

Sic *Hesiodus* in scuto *Herculis* vs. 220.

ὄμοισιν δὲ μιν ἄμφι μελάνδερον ἄορ εἶκετο,  
*Ex humeris autem circa eum nigro capulo ensis pendebat.*

Sic *Virgilius* de *Evandro*, *Aen.* vs. 459.

*Tum lateri, atque humeris Tegeum subligat ensẽ.*

Idem *Poëta* de *Ænea* lib. 11. v. 11.

Atque enssem collo suspendit eburnum.

Plura huc allegat Lipsius loco dicto, qui & in *Mil. Rom. lib. 3.* & in *analectis p. 282.* ait, *Non in Romanis quidem, qui nec longi nimis erant & ab humero non à medio cingulo pendebant. Sed proprie gladius non erat super humeros, uti hic de principatu Messiae dicitur; sed pendebat ensis a balteo, qui circum humeros erat, uti Homerus docet Iliad. 6. vs. 596. 597.*

οἱ δὲ μαχίρας

ἔιχον χρυσείας ἐξ ἀργυρέων τελαμώνων,

illi vero gladios

Habebant aureos pendentes ab argenteis balteis.

Hinc gladius non super humerum, sed ad femur dicebatur; unde & milites passim dicebantur stringere vel extrahere gladium ἀπὸ μηρῶν, a femore, quod apud Tacitum *annual. 1.* dicitur ferrum à latere diripere, sic Homerus *Iliad. a. v. 190.*

Ἦ ὅγε Φάσγανον ὄξυ ἐρυσσάμεν παρὰ μηρῶν

Utrum ipse gladio acuto stricto a femore.

Et *Odyss. λ. v. 230.* Homeri Heros ait,

Ἐπασσάμεν πηνύηκες ἀορ παχέας ἀπὸ μηρῶν

Extrahens acutum gladium crasso a femore.

Sic apud Virg. *Aen. 10. v. 786.*

Ocius enssem

Aeneas, viso Tyrrheni sanguine, letus

Tripit a femore.

Id est, evaginat, stringit gladium, qui ad femur pendebat. Et sic de gladio ad femur accincto passim extant loca in sacris, vide *Exod. 32: 27. Psal. 45: 4. Cant. 3. 8. &c.* Adde quod non semper gladius appensus erat à balteo superhumerali, sed & à medio cingulo, quo se cingebant, seu à zonis, uti sic 2. *Sam. 20: 8. Joab autem erat accinctus chlamyde sua vestimenti sui, super quam erat zona cum gladio, copulato lumbis ejus in vagina sua, & ipse egressus est & cecidit.* Ubi in Hebr. propriè legitur, הגור הרב, zona gladii, quia gladius à zona seu cingulo pendebat, quo cingulo accincti dicebantur milites in lumbis, uti *Ezech. 23: 15.* legitur, unde & *Jer. 13: 11.* dicitur, quemadmodum adheret cingulum lumbis viri. Quia ergo gladius non super humeros, sed ad femur erat, & à balteo seu zona pendebat, non placet mihi expositio.

§. 8. Idcirco quidam respiciunt vel ad ipsum balteum, qui circa humeros erat, vel ad epomidem ornatissimam, ut Symbolum regiae dignitatis, quibus epomidibus, artificiosissime compositis, reges ac viri dignitatis ornabantur, fibulis haud dubie humeris adstrictis, uti *Cel. Vitranga loquitur ad Esa. 9: 5.* Quæ expositio non plane rejicienda est, nam ut pallium vel epomis, symbolum imperatoriae & regiae dignitatis, ac majestatis, humeris circumjiciebatur; sic divinus vates ad hoc alludere potuit, cum de regio hoc filio ait,

*principatus erit super humerum ejus.* Sed plura  
puto sub hac locutione latere.

§. 9. Confertur porro cum hac locutione  
locus *Apoc. 3:7.* ubi de Messia dicitur, *Et da-  
bo clavem Davidis super humerum ejus,* uti & Lo-  
cus *Esa. 22: 22.* ubi Deus de Eliakimo, sic lo-  
quitur, *Et imponam clavem Domus Davidis hu-  
mero ejus, Et aperiet ipse, Et nemo claudet, Et  
claudet Et nemo aperiet.* Hic Eliakimus, in lo-  
cum Sabnæ constitutus, ut Magister palatii  
ac præfectus esset, idcirco Deus clavem do-  
mus regiae humero ipsius imponeret: scil.  
Præfecti aulae olim insignes erant variis digni-  
tatis ornamentis, ut gladio, vestimento pre-  
tioso, balteo seu cingulo, carpento, seu tribu-  
nali, aliisque insignibus honorificis; uti &  
*κεροπαλάτις*, *curopalata*, seu *Comes curiae*, qui  
aulae custodiam & curam gerebat, & pri-  
mus in comitatu Imperatoris erat, seu qui in-  
ter obsequia numerosa ante pedes regios pri-  
mus incedebat, ut Petrus Faber loquitur, *au-  
ream virgam* gestabat, symbolum dignitatis:  
magna enim, imo proxima imperatoriae aucto-  
ritas ejus erat, adeo ut ipse etiam imperato-  
ris frater quandoque hoc munere ornaretur,  
& Justinus ipse, Imp. Justiniani nepos, sic è  
*Guropalata* factus est imperator. Hinc Co-  
rippus Africanus *Lib. 2. vs. 278.* &c. de laudi-  
bus Justini, canebat,

- - - Tunc ordine longo  
*Incedunt summi proceres, fulgensque Senatus.*

Iii 2

Ipse

*Ipse inter primos vultu præclarus, honore  
Fratris in obsequium gaudens, Marcellus abibat,  
Dispositorque novus sacra Baduarius aula,  
Successor soceri, factus mox cura palati est.*

Legatur de hoc Car. du Fresne in Glossar.  
Graec. ac Lat. ut & P. Faber *Semestr. lib. 1.  
cap. 3.*

§. 10. Porro erat clavis, olim signum po-  
testatis ac gubernationis, uti & jus clavium  
apud eumerat, apud quem summa erat po-  
testas. Sic olim Tribunorum militum offi-  
cium erat, claves portarum suscipere, ne quis au-  
thor novi consilii cum hostibus moliri quid pos-  
set, ut Alex. ab Alexandro notat *Geniali. Dier.  
l. 6. c. 18.* uti & adhuc, tam apud nos, quam  
apud alios, claves urbis portarum asservan-  
tur apud summum Magistrum. Et uti clavi-  
um traditione transfertur dominium, quem-  
admodum Jcti loquuntur, (videatur Minlinge-  
rus *ad instit. lib. 2. tit. 1. p. m. 181.*) sic etiam vi-  
cti tradebant urbium claves in manus victo-  
rum, quibus potestatem ac dominium conce-  
debant. Et sic Christus, victo Diabolo, ad  
indicandum suum omnimodum imperium ac  
potestatem sibi vindicat claves  $\tau\acute{\alpha}\ \acute{\alpha}\delta\epsilon\ \nu\acute{\alpha}\ \tau\acute{\epsilon}\ \theta\epsilon\acute{\alpha}\nu\alpha\tau\acute{\alpha}\ \tau\acute{\epsilon}$ ,  
*inferni ac mortis, Apoc. 1: 18.* Con-  
fer. *Apoc. 20: 1.* Sic veteres in manu Jani sta-  
tuebant clavem, a cludendi aperiendique an-  
ni officio ac potestate, uti & Apollo cogno-  
mento  $\nu\upsilon\pi\alpha\iota$  colebatur apud Græcos, quod  
in-

ineuntis & exeuntis anni arbiter haberetur  
 notante Pierio Valeriano Hierogl. L.48. c.65.  
 66.67. Et hinc Judæi, ad indicandum in so-  
 la summi Dei potestate esse, aperire atque  
 claudere portas naturæ, dicebant, uti in Tar-  
 gum Jonathanis Ben-Uzielis ad Deut. 28: 12.  
 ארבעא מפתחי בירי דמארו עלמא דלא  
 מסרינון בידא דמפטר א מפתחא דחיימא דקברייא  
 דמפטר id est, *quatuor claves sunt in ma-  
 nu Domini totius mundi, quas non tradidit in ma-  
 num cujuspiam principis, aut angeli, claves vite,  
 & sepulchrorum & ciborum & pluvia.* Sicuti &  
 in Targum Hierosolymitano ad Gen. 30: 22.  
 paulo prolixius dicitur, & quem locum bre-  
 vitatis causa tantum Latine adscribam, *qua-  
 tuor claves traditæ sunt in manum Domini totius  
 mundi, àmirum Dei, neque tradidit eos angelo aut  
 Serapho; clavis pluvia, clavis victus, clavis se-  
 pulchrorum, clavis sterilitatis.* Clavis pluvia,  
*quia sic scriptura expresse dixit, aperiet Dominus ti-  
 bi thesaurum suum bonum, è cœlis, dando plu-  
 viam terræ tuæ tempore suo; Deut. 28: 12.*  
*Clavis alimonie, quia sic scriptura expresse dixit,  
 aperis manum tuam, & saturas quicquid vivit ex  
 beneplacito Psal. 145: 16.* Clavis sepulchrorum,  
*quia sic scriptura expresse dixit, cum aperuero ego  
 sepulchra vestra, deducam vos è sepulchris ve-  
 stris Ezech. 37: 12.* Clavis sterilitatis, *quia sic scri-  
 ptura expresse dixit, & recordatus est Dominus  
 Rachelæ, & exaudiens eam aperuit vulvam  
 ejus Gen. 30: 22.*

§. II. Imo uti claves symbola erant Domini, ac gubernationis, sic olim ritus erat, ut nuptialibus inter alia clavis quoque traderetur mulieribus, seu novæ nuptæ mariti domum intranti, quemadmodum è contrario indiffarreatione claves adimebantur, & ademptio clavium symbolum divortii, ac amissæ potestatis erat, sicuti Cicero *Philip. 2. Cap. 28.* ubi de repudiata Mima ab Antonio agit, inquit, *illam suam suas res sibi habere iussit, ex XII. tabulis, claves ademit, exegit, nempe domo.* Sextus Pompejus *de verbor. significat. col. m. 268.* hunc ritum tangens dicebat, *clavim consuetudo erat mulieribus donare ob significandam partus facilitatem, & hoc significato, dicit Pierius Valerianus Hieroglyph. Lib. 118. cap. 69. in sacris literis sæpe invenies, vulvam aperire.* Verum uti uxorum fidarum indicium & quasi hieroglyphicum erat clavis, unde Artemidorus *lib. 3. divin. cap. 54.* notante N. Abrahamo ad loc. alleg. Ciceronis, *clavis per somnium visa fidelem & casariam, sive Domus custodem, futuram conjugem significat;* sic arbitror potius hanc clavium traditionem significare rei familiaris dispensationem, domusque custodiam, uti Victorius loquitur *lib. 2. var. cap. 2.* erat mos institutumque Romanorum, ut uxoribus primum. Domum ingredientibus claves darent, quo, ni fallor, significabant, ipsas matres familias esse, atque omnem rei quasitæ à viro potestatem habere, &c. Sicuti & Scaliger judicabat *Poët. l. 3. c. 101. p. m. 153.*

m. 153. *Is dies*, Repotiorum nempe *nova nupta* initium erat juris, quod in familiam esset habitura, quam ob causam clavis dabatur illi, ad dominium potius atque possessionem, quam ad designandam, ut ajunt, partus facilitatem. Quemadmodum & P. Manutius ex Tertulliano indicat in notis ad Ciceronis locum modo allegatum. Legatur & Salmuth ad Pancirolli memor. part. 1. tit. 59. de nupt.

§. 12. Adde quod ipsis servis & janitoribus claves tradebantur, quique a gestandarum clavium munere *clavicularii* appellabantur, uti Pignorius de servis p. m. 114. notat, quibus quidem non magnum dominium attribuebatur; habebat tamen hæc clavium traditio significationem commissæ custodiæ, & penes illos erat custodia rerum occlusarum & jus aperiendi ac claudendi, uti & templorum clavibus sacerdoti traditis sacerdotii quasi possessionem transferri receptum erat, notante Minsingero l. c. Patet igitur ex his omnibus in omni clavium traditione esse dationem potestatis, cujus emblemata clavis erat, sicuti & datio clavium regni cælorum Petro ac aliis Apostolis *Matth. 16:19.* *Οικονομίας* Nov. Test. administrationem per ministros Evangelii Christi, qui solus summam in Ecclesia sua semper tenet potestatem, & a quo omnis eorum dependet potestas ac administratio.

§. 13. Sed cum claves vulgo tradantur in

manus , & in locis allegatis mentio fiat im-  
 positionis clavium *super humerum* , uti & no-  
 stro loco dicitur , *principatus erit super humerum*  
*ejus* , quæritur, quæ hujus haud multum ob-  
 viæ locutionis ratio sit ? Grotius dicit , epo-  
 midæ, vel humerali pallio , quod humeris in-  
 jiciebatur, intexam fuisse clavem , symbo-  
 bolum potestatis ac administrationis. Verum  
 cum hoc tantum dicitur , & non probatur  
 ullo documento ex veterum ritu , probabi-  
 lior videbatur Vitringæ sententia, respici ad  
*claves quæ per balteum sive ornatiore artificii ab hu-*  
*meris pendebant, fere ad eundem modum ut gladii*  
*apud Veteres* , uti sic loquitur, *in comment. ad*  
*Apoc. 3:7.* At *in comment. ad Esa. 22: 22. p. 656.*  
 ait, simplicius dici posse, Prophetam allulisse  
 ad epomidem pretiosissimam , quæ æque ac  
 tunica & balteus , ornamento erat præfecto  
 Palatii : quæ *epomis* cum esset adjunctum of-  
 ficii Oeconomi , quod per clavem metony-  
 mico dicendi genere designatur ; *clavem* dici  
 imponendam humeris , quod *epomis* , offi-  
 cio Oeconomi adjuncta , humeris impo-  
 nenda esset, quam sententiam jam exposue-  
 rat ad *Esa. 9: 5.* verum jam addit locum ex  
 Callimacho , ex quo patet , dicit, *Sacerdotes*  
*Cereris hoc ornatu insignes fuisse, ipse de Cerere, sa-*  
*cerdotes sui ordinis habitum mentita*, ait, (v. 44.  
*hymn. in Cerer.*) *κατωμαδια δ' ε'χε κλαυδα*, *clavem*  
*autem habuit ab humeris pendentem*, & ad quem  
 locum de Sacerdotibus Aedituis *κληδ'χοις*, *cla-*  
 vi-

vigeris, Vir illustris Ezech. Spant. emius plura  
 descripsit. Et ne insolens ac incongruens  
 alicui videatur, quod claves, humeris di-  
 cantur imponi, cum alias facile manibus ge-  
 stantur, ut ex Seneca patet lib. 2. de ira c. 25,  
 ubi ait, *quid enim est cur nos in rabiem agat, aut  
 calix versus, aut clavis negligentis servi manibus  
 elapsa?* animadvertendum volo, claves vete-  
 rum fuisse grandiores, quarum typum dat Pi-  
 gnorius de servis p. m. 113. imo etiam *δρεπαι-  
 νοειδῆς, falcatas*, seu falcis figuram habentes,  
 & vulgo ligneis manubriis, aliquando quo-  
 que eburneis, uti apud Homerum legitur  
*Od. 4. vs. 6.*

Ἐίλετο δὲ κλῆιδ' εὐκαμπέα | χειρὶ παχείῃ  
 Καλὴν, χαλκίην κώπη δ' ἐλέφαντος ἔπην.  
*Accipitque clavem bene flexam manu erassa  
 Pulchram, eream, manubrium autem eboris  
 erat.*

Ecee! quia claves adeo grandes erant, ut  
 manu erassa vel forti accipi ac gestari debe-  
 rent, imo curvæ, ac falcatae, de quibus  
 Huetius ad Manilium p. 8. videri potest, quid  
 miri, quod humeris imponerentur. Et sic in  
 hoc nostro loco jam ad hanc clavium gesta-  
 tionem respici posset, ac si propheta dixisset,  
 uti grandes claves, symbola potestatis ac gu-  
 bernationis, humeris imponebantur, sic  
 principatus erit super humeros Messiae, id est,

sic cura regiminis ac administrationis regni ipsi imponetur.

§. 14. Sed plura mihi videntur hac phrasi adhuc significari, quæ ordine hic jam in hisce sex sequentibus paragraphis, exponam. Primo notandum est, humerum esse eam partem corporis, quæ gestandis oneribus sit apta, & humero imponitur jugum, & quod libet onus portandum. Hinc Patriarcha Jacobus Gen. 49:14. dicebat, *Issaschar asinus valens, cubans inter duas sarcinas: quum videns quietem (rem) bonam esse, & terram suam esse amœnam, inclinaverit humerum suum ad bajulandum, & factus fuerit tributarius.* Ita Rebecca, filia Bethuelis, hydriam humero suo impositam habebat, Gen. 24:15. ita populus Israel massam suam nondum fermentatam accepit, & mactræ eorum ligatæ erant vestibis eorum super humerum eorum, Exod. 12:34. Hinc de Pharisæis, dicit Christus, *ligant onera gravia difficiliaque portatu, & imponunt in humeros hominum,* Matth. 23:4. Hinc dicitur *humeris aliquid portare*, ut apud Horatium lib. 1. Sat. 5. vs. 90 & *humeris sustinere*, ut apud Ciceronem de senectute, *cum humeris bovem sustineret vivum.* Quod & improprie sumitur pro gravissimum onus, aut negotium sustinere, sicuti cum humeri gravi onere gravantur, ingentique pondere deprimuntur, & grave onus aut pondus, quod humeris committitur, eos premit, urget, ac incurvat. Sic jam Christus ipse

ipse suis humeris bajulavit lignum crucis *Joh.*  
 19:17. ut verus antitypus Isaaci, portantis li-  
 gna holocausti, *Gen.* 22:6. sic Sospitator noster  
 animo lubenti inclinavit humerum suum ad  
 portandum, ac onus iræ divinæ dorso suo  
 subiit, qui labor ipsum quidem non grava-  
 vit, quin non gravat, quod animo lubenti ac  
 prompta voluntate suscipitur, quodque amor  
 facili fert obsequio: passus tamen est Chri-  
 stus hæc dura, portavit crucem, gessit illam  
 coronam spineam, *Joh.* 19: 5. 17. & omnia  
 peccata nostra ipsemet sursum tulit corpore  
 suo super lignum illud, *1. Pet.* 2: 24. ut sic in-  
 troiret in gloriam suam, *Luc.* 24: 26. ubi ad  
 dextram Majestatis in excelsis sceptro potitur,  
 & ostendit principatum esse super humeros suos,  
 ipsique imperium a Patre traditum esse, quod  
 imperium ipsi quidem non oneri est, nec mo-  
 lestum, est tamen regnum splendidum onus,  
 ad quod gestandum validi requiruntur hume-  
 ri, id est, ingenii judicii que vires, consilii  
 copia, fortitudo & constantia animi, prudens  
 & circumspecta prudentia, a magna sapi-  
 entia, uti sic fere loquitur Cel. Vitringa de  
 præfectura & imperio Eliakimi, typi nostri  
 Sospitatoris, ad *Esa.* 22: 22. Et certe, uti Iso-  
 crates Nicocli de regno administrando præ-  
 cipiens affirmat, ἡ βασιλεία τῶν ἀνθρώπων  
 πραγμάτων μέγιστον ἐστὶν, καὶ πλείονος προνοίας δεο-  
 μενον, omnium rerum humanarum & quod maxi-  
 mam curam providentiamque postulet, regnum esse,  
 quod

quod Livius lib. 2. dec. 1. *minime popolare*, ac rem pulcherrimam inter Deos & homines appellabat, & cui imperio, præsertim *maximo*, ut cum Salustio loquar, *multa inest cura*: sic hæc omnia de Christi principatu, quem jam humeris suis sustinet, verissima sunt: unde ipsi quoque robur, vires sapientia & prudentia passim attribuuntur in sacris, ut splendidum hoc negotium ipsi a Patre impositam, tantaque munia principatus sui suis cervicibus, ut cum Cicerone loquar, sustineret, *Cic. Sext. 66.*

§. 15. Sed *secundo*, humeri sunt istæ partes corporis, in quibus hominis præcipuum est robur, & quibus saxa subvectare potest, uti Maro loquitur *Æn. II, v. 131.*

- - - *attollere moles,*  
*Saxaque subvectare humeris Trojana juvabit.*

Hinc Heroibus attribuuntur humeri *στραποι, βεραποι, σιδήρεαι*, fortes, validi, lati, robusti, ferrei, ingentes, ut apud Homerum *Iliad. ε. v. 400.* & alibi, apud Virgilium *Æn. 9: v. 464.* ac apud alios passim extat. Hinc de Pandaro, viro forti, canit Maro *en. 9. v. 722.*

*Pandarus, ut fuso germanum corpore cernit,  
 Et quo sit fortuna loco, qui casus agat res,  
 Portam vi multa converso cardine torquet,  
 Ohnixus latis humeris, &c.*

Sic sacrae paginae de Heroe nostro Samso-  
ne, referunt, quomodo fortibus suis mani-  
bus arripuit fores e portis civitatis, una cum  
duobus postibus earum, quas humeris suis  
imposuit, ac portavit in verticem montis  
*Jud. 16: 3.* sicuti quoque Abimelechus ampu-  
tabat ramos arborum, quos sublato imposuit  
humero suo, *Jud. 9: 48.* Unde humeri sunt  
recta emblemata virium, ac fortitudinis. Et  
sic *principatus* dicitur *super bumerum* Messiae, quo  
significatur ipsum habiturum satis roboris ac  
virium ad regnum suum stabilendum, ad Ec-  
clesiam suam regendum, ac ad hostes suos  
profligandum, unde ipsi *sceptrum roboris* attri-  
buitur *Psal. 110: 2:* uti & *virga ferrea*, *Psal. 2: 9.*  
imo unde dicitur de eo, *permanebit ac pascet ro-  
bore Jehova*, *Mich. 5: 3.* Et ut pateat quales  
robustos humeros haberet, vide *Es. 63: 1. sq.*  
Imo inde quibus regnum vocatur quoque  
אל נבור, *Deus fortis*, seu *Deus victor*, ἰδὲ *regi-*  
τὸ μέγιστον possidet, quo sibi omnia subji-  
cit. Uti & Paulus ipsum appellat τὸν μέγιστον  
δυναστὴν, *I. Tim. 6: 15.* & confer *Psal. 24: 8.*  
Imo sic Messias ipse dicebat, se habere vali-  
dos humeros ad sustinendum suum principa-  
tum, nam *meum est*, ait, *consilium*, & *quicquid*  
*est, mea est prudentia, meum robur*, *Prov. 8:*  
*14.*

§. 16 *Tertio, Humeris portare est regere, gu-*  
*bernare, regum seu principatum gerere su-*  
*stentare, &c.* Uti sic Rempublicam humeris  
su-

sustinere dicitur apud Cic. or. pro Flacco c. 38. ubi ait, *de salute omnium nostrum, de fortunis civitatis, de summa Reipub. taceo, quam vos universam in hoc judicio vestris humeris, vestris, inquam, humeris, Judices, sustinetis, Uti & alibi dicit, rempublicam suis cervicibus sustinere, in or. pro domo sua.* Sic, cum propheta dicit, *principatus erit super humerum ejus,* denotatur, ipsum futurum Regem, ac Imperatorem magnum, cui pater traderet rerum gubernationem, absolutam ac omnipotentem, quemadmodum ipsi tradita dicitur omnipotentia in cœlo & in terra, *Matth. 28: 18.* uti ipsi Judæi dicunt, nam R. Juda Bezalaal ex *Nitzeach Israël cap. 36.* ait, *המשיח יהיה מנהיג ברברים האלהים לנמרי* *Messias erit moderator in rebus divinis absolute.* Et Majemon in *explicat. Misnar. tract. Sanhedr. fol. 121.* scribit *Messiaë futuram יתרון ומעלה כבוד על כל המלכים שיהיו מעלום* *excellentiam & gradum eminentiorem & gloriam supra omnes reges qui a seculo unquam fuerunt.* Et sic in nostris sacris pandectis vocatur Christus *κύριος & αὐτοῦ, βασιλεὺς βασιλευ- ων Apoc. 17: 14. & 19: 16.* *Quem oportebat regnare, usque quo omnes inimicos supposuerit pedibus ejus, 1. Cor. 15: 25.* imo qui regnabit in *secula seculorum, Apoc. 11: 15.* Et sic apposite utitur propheta hac phrasi, nam primo dicit *puer nobis natus est, & filius nobis datus;* at ut sciatur, qualis hic puer esset, nempe Rex magnus, qui humeros imperio aptos haberet, idcirco ad-

dit,

dit, & principatus erit super humerum ejus, ut indicet, puerum illum promissum illum fore, qui regnabit in domo Jacobi eternum, & cujus regni non erit finis, quemadmodum Angelus Domini ipsius matri Mariæ annunciabat Luc. 1: 33. Et sicut pater hunc suum filium, quem hic nobis daturum promittit, inunxerat regem, ac prefecerat Tzioni monti sanctitatis suæ, Psal. 2: 6. Et de quo Esaias quoque prædixerat, En juste, seu injustitia, regnaturus est Rex, Esa. 32: 1. nempe Messias, filius Dei, qui & germen justum appellatur, & qui regnaret ut rex, qui intelligenter ageret, & exerceret jus & justitiam in terra; Jer. 23: 5. imo qui ut Rex Tzionis spiritualem suam republicam suis sustineret humeris.

§. 17. Hinc adde quarto Loco, quod humeris suis portare notat ipse gubernare, & gubernationem regni non aliorum humeris imponere, non more Tyrannorum omne onus imperii subditorum humeris injicere, aut more desidum, ac mollium principum, qui somnolentia atque turpi ignavia, matri somni, dediti, omnem regni gubernationis curam aut plane abjiciunt, aut desidiose negligunt, & omnia per alios peragi sinunt; sed suis humeris portare regnum, est moderamen rerum ipse tenere, suis propriis manibus moderari clavum imperii, vigili prudentia omnia prospicere, quæ oportet. Et licet sapiens non omnia semper videat, adeo ut optimi principes opus habeant consiliariis fidis atque sapientia.

entibus, qui ut oculi principum sunt, & quibus nil quicquam principibus sit utilius, uti Isocrates recte ad Nicoclem pag. m. 35. scribebat, σύμβουλος ἀγαθὸς χρησιμώτατος καὶ πλεονεχέστερος πάντων κτημάτων ἐστίν, *bonus consiliarius utilissima & regi convenientissima omnium possessio est*; Laudabilis tamen princeps est, qui non semper alienis, sed suis quoque oculis videt, qui vigili, providaque sedulitate rebus gerendis intentus est, & qui, ut de Trajano perhibetur, assiduus est in tribunali, solliciteque juri dicundo præest, uti de Dagoberto Rege Galliarum dicitur. Et, quod Ægyptii indicabant, dum in sceptro regio oculum hieroglyphicis suis designabant, sicuti figuram hujus rei proposui in comm. ad Ruth, p. 152. Quaque re ostendere volebant, in principe maxime requiri prudentiam, tanquam Reipublicæ vigilantem & prospicientem oculum. Sic jam propheta de nostro Messia dicit, *principatus erit super humerum ejus*, id est, curam rerum gerendarum non aliorum humeris imponet, sed ipse in se suscipiet, ipse clavum imperii sui suis tenebit manibus, & omnem molem curarum ipse sustinebit, suisque humeris, suisque viribus propriis suum regnum sustentabit, abrogatis omnibus, Θεῶν ἀρχαίων, *Diis dictis*, seu magistratibus V. T. qui in cathedra Moysis sedebant, ac antea in populo Dei dominabantur; at quorum potestas jam abrogata esset, nam ne angelis quidem

orbis habitabilis posterioris temporis subje-  
ctus est, *Hebr. 2: 5.* sicuti cel. Coccejus hic jam  
quoque optime observat, ac addit, „idcirco  
, & Esaias cum regni & imperii devolutione  
, in humerum Filii conjungit abrogationem  
, alius dominationis, ad libertatem Ecclesiae,  
, quae jam sub Novo Test. non subiecta est *ἀρ-  
χαις καὶ ἐξουσίαις*, principatibus & potestati-  
bus, seu principibus aut magistratibus pote-  
statem gerentibus, quos Christus olim habuit  
sibi quasi circumpositos, at quos jam deposuit  
a se, & sine quibus jam regnat solus. Olim  
sub V. T. populum Israeliticum subjecerat  
Magistratibus illis, quos quodammodo in  
throno suo collocaverat, & qui idcirco *dii* di-  
cebantur *Psal. 82: 6. consedissee in throno regni  
Dei super Israël, 1. Chron. 28: 5.* at sub N. T.  
hos omnes, quos quasi vestem induerat, exuit,  
ac abrogavit, uti Paulus *Col. 2: 15.* verbo *ἀπεν-  
δυσάμεν* clarissime indicat: Errant enim vi-  
ri doctissimi, Grotius, qui verbum *ἀπενδύσασθαι*  
ibi per *exarmare*, & Perizonius, qui per *spolia-  
re*, interpretantur, *vide Perizon. ad Aelian. V. b.  
lib. 2. cap. 30. n. 3.* Quoniam non transitive  
aut active loquitur Apostolus *ἀπενδύσας*, uti  
*Matth. 27: 28.* legitur *καὶ ἐνδύσαντες αὐτὸν,*  
& *exuerunt eum*; sed, ut solus fere Coccejus  
hunc locum hocque verbum recte explica-  
vit, reciproce, uti adhuc *Col. 3: 9.* & sicuti  
verba media plerumque reciproce debent  
exponi, ut actionem cum passione mixtam

sive actionis in ipsum agentem reflexionem designent, ex. gr. sic activum ἀπερδύειν notat exuere alium, passivum ἀπερδύεσθαι ac exui; at medium ἀπερδύομαι se ipsum exuere, vestem exuere, deponere, &c. Jam nunquam Christus Diabolo indutus fuit; sed magistratus ac principes sub V. T. quasi vestem induerat, quia per illos, quasi per principes vicarios populum Israëliticum rexit, quam vestem jam sub N. T. deposuit, ac exiit, ut sic solus jam regnaret, atque ostenderet, principatum esse super humerum suum, sicuti cel. Coccejus hunc nostrum locum quoque in eum finem allegat ad Col. 2: 15, quem alia occasione pluribus expediam.

Imo cum Christus principatum suis sustinerit humeris, sequitur ergo nullum jam sub Novo Test. dari Episcopum Vicarium in Ecclesia, aut visibilem Monarchiam Ecclesiae, uti Papa Romanus de se gloriatur, se in terris Numen compellans.

§. 18. Quinto, Humeris portare est fideliter curare, studioissime, diligentissime curam pro aliquo gerere. eum amore, ac animo propenso promptoque amplecti, imo eum quasi in oculis ferre. Sic ex. gr. Pius Aeneas dicebat charo patri suo, apud Virgilium Aeneid. 2. vs. 707.

Ergo age, chare pater, cervici imponere nostrae,  
 Ipse subibo HUMEROS, nec me Labor iste gravabit.  
 Quo

Quo res sanque cadunt, unum & commune peri-  
clum,

Una salus ambobus erit.

Ad quod Dido, respiciens dicebat *Æn.* 4. vs.  
498.

- en dextra fidesque,

Quem secum patrios ajunt portare penates,

Quem subiisse HUMERIS confectum etate pa-  
rentem.

Et sic apud Aristotelem legitur βασιλευς γέγονε  
ταῖς ἐπι τῶν ὤμων, senes humeris portare, eosque  
sic debita amore prosequi. Sic promittitur  
*Esa.* 49: 22. ecce, ait Jehova, sustollam ad gen-  
tes manum meam, & ad populos efferam vexillum  
meum, ut afferant filios tuos ilacerto, vel in ulnis,  
& filia tua super humerum portentur, id est, com-  
modissime tractabuntur, ac ducentur. Et  
uti aquila portat pullos super alas suas, ita  
Deus populum suum duxit, Israëlem am-  
avit, ac Ephraïmum in brachiis accepit, *Deut.*  
32: 10, 11. *Hos.* 11: 3. Quemadmodum cha-  
ra humeris portamus, & pater charum filio-  
lum in humeris susceptum portat, sic Deus Isra-  
ëlé quasi humeris portaverat. Et uti bonus pa-  
stor excubias agens pro grege, eum servat,  
custodit, ducit, ac aberrantes oves reducit,  
imo humeris reportat, sic in Evangelio apud  
*Lucam cap.* 15: 5. pastor ille fidus perditam  
ovem repertam humeris ad gregem reporta-  
bat.

Cum igitur propheta dicit, principatus eris  
super humerum ejus, notatur quoque fidelitas

Regis Messiae, quomodo fidelissime ut pastor curaret gregem. Sicuti enim boni principes notante Philone de agricultura, & Platone in Minoë, quoque dicuntur pastores, uti Homerus Agamemnona vocat ποιμένα λαῶν pastorem populorum, *Iliad.* β. vs. 243. Quia quod pastor est ovibus, hoc princeps est populis sibi subjectis, quare Cyrus ille Xenophonteus lib. 8. de instit. Cyr. pag. m. 210. boni pastoris & boni regis opera consimilia perhibet ac affirmat; sicuti & Cajus Cæsar apud Philonem Judæum principem cum pastore comparabat, tom. 2. pag. m. 1172. Et Plato ideo in *Minoë* circa fin. dicebat, οἱ τῶν μὲν ποιμένων νόμοι αἰεὶ τοῖς περὶ βασιλείας. οἱ δὲ νόμοι τοῦ βασιλέως αἰεὶ τοῖς ψυχαῖς τῶν ἀνθρώπων, i. e. leges pastoris ovibus sunt optime, leges autem regis animis hominum optime sunt. Sic & in sacris David, Cyrus aliique magni reges nontantum hoc nomine insigniuntur, 2. *Sam.* 5: 2. *Esa.* 44: 28. & alibi; sed ita etiam de animarum nostrarum uno, summo ac optimo pastore Christo dicitur, quod simul pastor & princeps est, *Ezech.* 34: 23, 24. cui grex electus adeo cordi est, ut omni cogitatione ac cura in eum incumbat, quare merito de nostro regio pastore divinus Vates ait, principatum esse super humerum ejus, ut indicet, ipsi commissam esse curam ac gubernationem regni populi que sui, quem ut fidus pastor ac bonus rex fideliter duceret, amaret, imo humeris suis portaret:

§. 19. Tandem sexto loco observo, quod fortean prius notari potuisset, quomodo veteres omne, quod excellens erat, ac signum potestatis habebat, humeris imponebant, ita Apollo apud Homerum *Iliad*: α vs. 44. descendit ex cœli verticibus, τόξ' ὤμοισιν ἔχων, ἀμφερσφίας τε φαρέτην, arcum humeris gestans & undique lectam pharetram, ut & *Iliad*. γ. vs. 17. Alexander in prima acie Trojanis, erat παρδαλέην ὤμοισιν ἔχων καὶ καμπύλα π' ἔξα, pardipellem humeris gestans & incurvos arcus. Sic Virgilius de Camilla, Volscorum Regina, quæ suppetias venit Turno contra Æneam, loquitur *Æn*. 11. vs. 652. Aureus ex humero sonat arcus. Sicuti & *Æn*. 7. vs. 815. de eadem Amazone ait, ut regius ostro velet bonos leves humeros. Sic Sidonius Apollinaris in panegyri, Anthemii vs. 6.

*humerosque ex more priorum*

*Includat Sarrana cblamys.*

Et sic Callimachus in *Cererem* vs. 44. intrôducit Nicippen sacerdotem gestantem clavem humeris, ita enim verba ejus sunt.

- γιντο δὲ χεῖρῃ

στῆμματα καὶ μαίκωνα, κατωμαδία δ' ἔχε κλαῖδα.

id est. *Serta manu atque papaver habens,*

*Suspensamque clavem ex humero, nempe ὡς ἱερεῖα, ut sacerdos, uti Græcus scholiastes addit, & quidem ut insigne vel sacerdotii, ut Huetius observat, vel saltem ut signum digni-*

fatis humero impositum, sicuti clavis emblema dignitatis ac honoris erat, & optima humeris saepe imposita occurrunt. Quam rem & Jobus respiciebat cap. 31: 36. ubi ait, si vir litis suae conscriberet volumen, vel librum, vel commentarium vitae suae innocuae transactae, portarem illum *יִכְתֹּב לִי* super humero meo, & circumdarem illum quasi coronam mihi, existimans, ea isto libro perscripta fore, quae sibi potius decori & laudi essent, quam ignominiae, talemque librum potius ad probationem innocentiae suae facturum, quam ad condemnationem, idcirco illum non absconderet, sed humero suo imponeret, ut rem sibi charam & quae sibi decori esset.

Adeo ut, cum propheta dicit, principatus erit super humerum ejus, hac locutione significetur quoque dignitas & ἀξίωμα principatus ac imperii Messiae, qui Rex & pastor populorum esset praestantissimus, ac dignissimus, omni honore afficiendus, summaque veneratione honorandus atque adorandus, unde expresse *מְגִדָּה*, *Addir, magnificus*, vocatur Jer. 30: 21. & Es. 33: 21. dum Ezechiel ipsum magnificam cedrum appellabat, cap. 17: 23. non mirum, quia revera Θεὸς τῆς δόξης, uti & κύριος τῆς δόξης est, sicuti Stephanus & Paulus ipsum appellant Act. 7: 2. 1. Cor. 2: 8. quem quidem pater βασιλεῦς, scil. Ἀριστοκράτης, vel μόνον τοῦ χρόνου, minorem angelis faceret; at quem statim gloria & majestate corona-

naret, *Psal.* 8: 6. & *Hebr.* 2: 7. & cujus principatus sic esset super humerum suum, id est, qui cum gloria ac decore imo cum Majestate regnaret, adeo ut tota terra impleretur ejus gloria, *Esa.* 6: 3. & decus roboris populi sui esset, *Psal.* 89: 18. & cœli enarrarent gloriam ejus, quoniam, uti Simeon de ipso, ut puero nobis nato, dicebat, esset *φῶς εἰς ἀποκάλυψιν ἔθνων, καὶ δόξα λαοῦ σου Ἰσραήλ*, *Luc.* 2: 32. qui suo decore ac splendore gloriam posterioris domus majorem quam illius prioris faceret, ac totum templum spirituale sua gloria impleret, *Hag.* 2: 8, 10, imo qui tandem gloria ac majestate indutus æternum in cœlis glorificaretur in sanctis suis, ac admirandus esset in credentibus omnibus. *2. Thess.* 1: 10. Merito igitur Psalmistes *Psal.* 45: 4, 5. ipsum alloquens ac decus principatus ipsius prædicans, dicebat, accinge gladium tuum femori, o Heros, majestatem tuam & decorem tuum, & invade decus tuum, propter veritatem & mansuetudinem, & justitiam, & docebit te terribilia dextra tua.

JOHANNIS STEN-  
GELII,  
Ulma-Suevi,

De

Causa D. N. J. C. pro *curatione*  
*Paralytici Sabbathica.*

JOH. VII. v. 21, 22, 23.  
dicta,

Observatio Philologica.

ARGUMENTUM.

Prooemium & dictum Salvatoris Joh. VII, 21, 22, 23.  
Remotio explicationum hactenus traditarum & quidem I. Christum non opposuisse functionem spirituales, corporali. C. I. §. 1. II. non sacramento ipso sanationem hominis paralytici. §. 2. III. non subjectum circumcisionis, subjecto sanationis. §. 3. IV. non vulnerationem, sanationi. §. 4, non legem naturæ, legi rituali. §. 5. Adductio explicationis nostræ & quidem rursus per theses quasdam positas: I. Facti veritas. Cap. II. §. 1. II. morbus. Paralysis. §. 2. III. Paralysis affectus totum hominem afficiens. §. 3. IV. Morbus hic Medicum efflagitabat Christum §. 4. Iudæi indignabantur

tur factum hocce Christi, eo quod in Sabbatho peractum fuerit. §. 5. In Circumcisione ex traditione paterna, Iudæi requirebant, præputio abscisso medicinam vulneri addendam. §. 6. V. Christus in Apologia sua, contra Iudæos, dicenda, κατ' ἀνδρωπον argumentatus est. §. 7. Epilogus: §. 8.

**Q**uo æquius ac legi naturæ & divinæ conformius beneficium Domini Nostri Jesu Christi, homini per XXXVIII. annos paralyti laboranti, teste Jo. V, 5. sqq. exhibitum erat, eo impudentior calumnia Judæorum, qua Christum, eo quod in Sabbatho factum illud perpetraverit, petierunt, dicenda est: Eo & ἐμφακτορον, eo justiore, eoque multo notabiliorem ipsius Salvatoris contra impios Judæos Apologiam esse, judicamus, quam idem Johannes Cap. VII. §. 21, 22, 23. sequentibus verbis tradit:

Vl. 21. Ἀπεκρίθη ὁ Ἰησοῦς, καὶ εἶπεν αὐτοῖς. Ἐν ἔργον ἐποίησα καὶ πάντες θαυμάζετε.

Vl. 22. Διατάτω, Μωσῆς δέδωκεν ὑμῖν τὴν περιτομὴν, (οὐχ ὅτι ἐκ τῆς Μωσέως ἐστίν, ἀλλ' ἐκ τῶν πατέρων,) καὶ ἐν σαββάτῳ περιτείνετε ἀνδρωπον.

Vl. 23. Ἐἰ περιτομὴν λαμβάνει ἀνδρωπον ἐν σαββάτῳ, ἵνα μὴ λυθῇ ὁ νόμος Μωσέως, ἐμοὶ χολώτε, ὅτι ὅλον ἀνδρωπον ὑγίη ἐποίησα ἐν σαββάτῳ.

**N**Egamus Primo: *Christum*, cum dicit se hominem totum sanasse, intellexisse *Sanationem Spiritualem & corporalem* simul, eamque opposuisse *Sanationi spirituali* solum, quique prior *Judæis*, ut cum *Matth. POLO*, in *Critic. ad h. l.* confirmamus: *in homine paralytico*, ob *cæcitatem spiritualem*, plane non innotuerit: atque proinde infirmam putamus *Lucæ OS- ANDRI*, ad *h. l.* & *Jo. PISCATORIS* ad *h. l.* *ALIORUM* que eandem facientium explicationem, quod scilicet *Christus* argumentatus fuerit: *Si circumcisionem qua spiritualiter homo sanatur, in Sabbatho homini acciperelicet, ita ut Lex Mosis non ledatur*, quanto magis mibi sine ulla legis *Mosaicæ* lesione licitum erit, hominem egrotum quoad corpus & quoad animam in Sabbatho sanare. Vocabuli quidem *οα* sensum (ad quod fatente id etiam *Ægid. Hunnio* ad *h. l.* res omnis redit,) exprimere hæc explicatio, primo intuitu, quam optime videtur: Sed ne quid de eo dicamus, quod modo ex *Polo* adduximus, dubitamus valde, an ex *Sacr. Litteris* probari possit, *οα* eam significare in homine integritatem, quæ, quicquid corporale atque spirituale in ipso est, ut cuni horum opponi possit, designet: Proinde etiam *Christum* ab uno horum ad alterum argumentari vix persuaderi possumus. Ut taceamus ipsis *Judæis* eo tum tempore imprimis

viventibus, sanationem spiritualem in circum-  
 cisionis Sacramento, si non omnibus, saltem  
 plurimis ignotam fuisse, quippe qui eam, ex-  
 ternum tantum, quo ab aliis gentibus distin-  
 guerentur, signum esse putabant. Certum  
 inde est non valere posse hanc argumentatio-  
 nem si a sanitate spiritali s. particulari, ad sa-  
 nitatem hominis quoad corpus & animam si-  
 mul sumtam, procedat.

§. 2. Negamus secundo, Christum sacramen-  
 to ipso Circumcisionis, Sanationem illam Paralytici  
 opposuisse. Exinde cadit interpretatio Ægid.  
 HUNNII ad h. l. sequens: *Circumcisione qua  
 manibus fiebat, homo VNA SUI PARTE circumci-  
 debatur, miraculo vero Christi TOTUS HOMO  
 sanatus est: Est autem utrobique par ratio: Sicut  
 enim mandatum acceperant de circumcissione quovis  
 octavo die perficienda; sic Christus mandatum acce-  
 perat à patre toto cursu ministerii quandocunque res  
 postularet, miraculis illustrandi gloriam Christi.*  
 Mentem B. Viri eam fuisse putamus: Si in cir-  
 cumcidendo pueri in una parte corporis tan-  
 tum, tantus labor requiritur, & tamen exerce-  
 re in Sabbatho illam licet, quanto magis mi-  
 hi licitum erit nulla adhibita manuum opera-  
 tione, sed unico saltem verbo pronunciato,  
 per miraculum, totum hominem sanare.  
 Cum tamen ea nihilominus neque vocabulis,  
 OL. emphasin, (cum vel prior sententia de sa-  
 nitate spiritali, vel sequens de læsione sana-  
 tioni opposita rediret,) exhaustam videamus,

neque etiam argumentationis à circumcissione pueri ad sanationem corporis vis & ratio apparet, ideo nec Hunni verbis subscribimus.

§.3. Nec Tertio persuaderi possumus, respexisse Christum in collatione sua, *subjecta* operationis; puerum puta in Sacramenti circumcidendum, & grandæviolem ab ipso sanatum, eosque invicem sibi opposuisse. Quod si certum, ruit etiam explicatio Jo. LIGHTFOOTI in Hor. Thalmud. & Ebr. ad h. l. p. m. (edit. Lips. 1684. in 4.) 1028. ubi mentem suam sequentibus verbis explicatam dedit: *Queritur de modo quo Christus argumentatur? Dixerim ego hoc modo: - - si per Mosen liceat pro emolumento INFANTIS, circumcidere eum Sabbatho, nonne per Mosen licet pro emolumento GRANDÆVIORIS, sanare eum Sabbatho? Quid enim sibi Lightfootus vult, Infantem opponendo grandæviori homini? Anne præstantiorem forte hunc illo judicat, enim sic contradiceret verbis Christi Marc. X. alibi que pronunciatis. Accedit quod h. l. de sacramento infanti conferendo agatur, cum de grandævioris saltem curatione corporis dicatur, quam posteriorem priori cedere, ratio ipsa docet. Deinde nullum verbum in textu extat, quod vel obiter saltim hanc oppositionem doceret. Nisi forte diceres, *alios* etiam respectu infantum, totum h. e. adultum ho-*

hominem notare, quod tamen nunquam ex parallelismo probabis.

§. 4. Porro Quarto negamus, Christum vulnerationi in circumcissione, opposuisse sanationem in Paralytico peractam: Alias enim emphasis non in voce *ελεος*, sed in verbo *sanare* quærenda esset, quod textus tamen non admittit. Labitur igitur & altera ratio (duas enim conjunctas Lightfootus adduxisse videtur) laudati LIGHTFOOTI: Si VULNERARE vobis licet infantem per circumcissionem, æque si non magis, mihi licet SANARE hominem per verbum. Hanc, quam suam etiam fecit Henr. HAMMONDUS in Paraphr. Evang. ad h. l. rationem plane vocabulum *ελεος* non exprimere quilibet statim intelligit. Deinde Christus in oppositione adducta, non dicit quod *sanaverim* sed quod TOTUM *sanaverim*, quo sane altius quid innuere voluisse, aperte Evangelista prodit.

§. 5. Nec denique Quinto credimus Christum Legem ritualement legi nature opposuisse, siquid nec hoc ex textu probari poterit: Quare nec Hug. GROTII explicatio h. l. locum invenit, quam his verbis comprehendit: *Paralysis totum hominem occupaverat, & ego Christus, eum liberavi, quod opus non tantum ad Dei honorem magis pertinet, quam circumcisio, sed & per se beneficium est, ac proinde continetur in NATURAE PRÆCEPTIS, quæ antiquiora sunt ipsa circumcissione, sicut circumcisio est antiquior rigida*  
*osio*

otio Sabbathi per Mosen imperato; ac præterea Sabbatho præfertur: Si LEX RITUALIS cedit legi rituali antiquiori, quanto magis LEGI PER NATURAM cordibus inscriptæ, ut quavis occasione infirmos juvemus? Sed ne repetamus quod vocabuli ελος plane nulla in hac explicatione mentio fiat, accedit quod jamjam diximus, Christum in Apologia sua harum legum oppositionem non intendisse, ideo quod non, quid liceat ratione legum, sed quod factum ratione quantitatis, defenderit. Ex hæcenus dictis quoque patet, quid de Sebast. SCHMIDII aliorumque explicationibus, quas omnes evolvere, nec facultas nec chartæ angustia concessit, dicendum sit.

CAP. II.

§. I.

Afferimus igitur, Primo tam certum esse illud homini nostri Jesu factum, quam certa est ipsa Evangelistæ Historica relatio, Cap. V, 5. 8. 9. tradens, Christum ad Bethesdam prope Hierosolymam profectum hominem ibidem τελευκοντα οκτω ετη εχοντα εν τη ασθενεια deprehendisse, eique dixisse: Εγειρα ερον τον κρηββατον σου, και περιπατει, factum esse ut ευθεως υγιης ο ανθρωπος visus fuerit.

§. 8. Affirmamus Secundo, hominem illum laborasse Paralyti, idque invictis argumentis probamus. Et quidem α) Ex circumstantiis in sanando illo observatis. Quales Thom. BAR- THO.

THOLINUS in disp. de Paralyfi N. T. p. 1. plures adduxit, quas repetere nolumus, unica excepta, quod scil. *καρββατ* & *κλινη* paralyticis quasi proprium quid Marc. II, 4. Luc. IV, 18. & Actor. V, 15. adscribantur. Cui ex Contr. JOHRENI diff. de Christo Medico (Francof. ad Viadr. 1704. hab.) Cap. II. §. 3. adhuc aliam addimus: Methodum scil. Christi sanandi hunc hominem, in aliis paralyticis, pronunciatis verbis, *surge, tolle lectum tuum* & *abi*, Matth. IX. 6. Marc. II, 11. Luc. V, 24. quoque adhibitam. Quæ duæ circumstantiæ, cum aliis in textu contentis collatæ, paralyfi hunc hominem afflictum fuisse, plane nos convincunt. β) Ex Medicorum testimoniis, ex quibus instar omnium Ge. Wolffg. WEDELII, summi, nuper demum defuncti Medici, nobis erit: in Exercitat. Medico-Phiol. Dec. VIII. p. 19. scribentis: *Jo. V. non nominatur quidem quam α' & β' & γ', nullus vero alius assignari potest ex circumstantiis morbus quam Paralyfis universalis; indigitatur enim caruisse egrum motu, nec nisi aliorum ope potuisse de loco in locum portari, non surgere, adeoque nec moveri.*

§. 3. Statuimus ergo Tertio, Paralyfin Universalem fuisse talem affectum, qui Totum hominem afficiebat, adeo ut nullum auxilium sibi ferre, propriis viribus potuerit. Quod ut eo dilucidius pateat, audiamus rursus Cel. WEDELII l.c. verba: *Concipi debet affectus*  
qui

qui offert movendi impotentiam plenariam morborum, alias motui voluntario inservientium, - - cum resolutione, flacciditate tendinum, musculorum &c. - - ut partes enervatæ in motus vocari nequeant; - - citra τῆσιν, tensionem seu strictionem ullam.

§. 4. Adsentimus Quarto plane, celeberrimo iterum laudando WEDELIO, qui l. c. p. 23. fatetur, solum Salvatorem θεοσωτηρον & quidem ἀδελφικῶς καὶ ἐξισιαστικῶς incredibili & imperioso modo auferre potuisse talem tantumque morbum: Idque etiam precatus ab illo commiseratione digno, uti §. 1. jam indicatum est, homine, quam lubentissime felicissimeque fecisse. Sed ad hoc quid Judæi! Indignabantur valde tum quod lectum suum in Sabbatho portabat homo Cap. V, 10. tum quod Christus eo ipso die illum sanaverit, uti vs. 16. & 18. id clarissime docent, ea que propter ἐζητεῖν αὐτὸν ἀποκτείνειν. Hujus atrocitatis Judæorum erga Christum causam quærimus ex principiis atque traditionibus Paternis, quibus superstitione admodum verpi adhærebant.

§. 5. Idque ut eo distinctius fiat, ponimus I Judæos nullum opus in Sabbatho exequendum nisi periculum vite adsit permittere. Circumcisionem vero in Sabbatho licitam esse: Afferti hujus probationem dabimus, & quidem ex מסכת שבת fol. 130. 1. ubi sequentia: אמר רבי עקיבא כל מלאכה שאי פשר לעשותה מערב שבת אינה דוחה את

אם השבת ומילה איפחר למשותח מעש דוחה  
 : את השבת R. Akibha dicit : Omne opus quod  
 fieri potest vespertis Sabbathi (hæc inter opera  
 numerare quoque Judæos ægrotorum curam,  
 de quorum vitæ periculo non timendum est,  
 docet R. Mos. Maimon. in Hile. Schabb. Sect.  
 I. c.2. רוחיה היא שבת אצל סכנת גפשות Pul-  
 sum est Sabbathum, si adsit periculum vitæ,) non pel-  
 lit Sabbathum. At circumcisio quæ non fieri potest  
 vesperi Sabbathi pellit Sabbathum. Convenit  
 cum R. Akibhæ asserto illud, quod Princeps  
 Synagogæ, uti id jam a Lightfooto l. c. p.  
 345. annotatum est, indignans quod Jesus  
 Sabbatho quosdam sanaverit, Luc. XIII, 14.  
 dixerit : Ἐξ ἡμερῶν εἰσὶν ἐν αἰς θεοῦ ἐργαζέσθαι. ἐν  
 ταύταις ἐν ἐρχομένοις θεοῦ πνεύματι, καὶ μὴ τῇ ἡμέρῃ  
 τῆ σαββάτου. Hæc etiam causa erat, quare  
 Judæi tam acerbè indignati fuere Christo,  
 cum homini, cujus morbus diu hæctenus du-  
 raverat, qui dolorem nullum causabat, (WE-  
 DELIUS. l. c. p. 19.) cujus de vita nullum  
 periculum timendum erat, cujus igitur sana-  
 tio in alium diem protrahi potuerat, eo ipso  
 die sanitatem restituerit.

§. 6. (2) Etsi supersticiosi admodum Judæi  
 fuerant in Sabbathi observatione, multo ma-  
 jus tamen circumcisionis præceptum habue-  
 runt. Patriasque insuper ei admiscentes tra-  
 ditiones easque pluris, quam ipsam divinam  
 institutionem facientes, quas eadem, ne di-  
 camus majore, necessitate in Sabbatho ac ipsam

circumcisionem præputii observandas putabant. Audiamus quid in מסכת שבת fol. 128. de iisdem tradant: רבי יהוי אומר אף חוהכין וכל רבי יוחנן מילה עשין בשבת h. c. dixit R. Josias secant, & omnia necessaria circumcisionis faciunt in Sabbatho. Jam vero quænam illa necessaria sint, quæ ad circumcisionem ex traditione Patrum pertineant, ex R. Mosis Maimon. in Hilc. Mil. C. 2. Sect. 2. discimus: ביצד מוהלין חתכין את כל העור המחפה העטרת עד שתתגלה כל העטרת ואחר פורעין את הקרום הרך של משה מן העור בצפורן ומחזירו לכאן עד שיראה כשר מן העותה ואחר כך מוצץ את המילה עד שיצא הדם ממקמות רחוקים כדי שלא יבא לידו סכנה וכל מי שלא מוצץ מעבירין אותו ואחר שמוצץ נוחן עליו אפלטניא אורשייה וכיוצא בהך: h. c. quomodo circumcidunt? Præcidunt omnem cutem, quæ operit glandem penis, usque dum menbrula plane fuerit detecta: postea denudant membranam tenuem, quæ infra cutem, pollice, eamque ultro citroque trabunt, usque dum caro pene denudata. Tum CIRCUMCISIONEM SUGIT donec sanguis ex lœsis remotis, NE FORTE PERICULUM EI CREATUS, PRODIERIT: ET QUINCUNQUE NON EXSUGIT, REUM PRONUNCIANT: POSTQUAM AUTEM EXSUXERIT, IMPONIT EI SPLENIUM AUT EMPLASTRUM: AUT SIMILE QUID. Inter primaria igitur in circumcisione observanda

ponunt רפואה, quam nunquam, ne in Sabbatho quidem, negligere licebat, unde in Tanchum fol. 9. i. expresse legitur hoc modo: רפואתה רוחה שבת h. e. *Circumcisio & SANATIO EJUS pellit Sabbathum. Quod* quin etiam tempore Christi à Judæis observatum fuerit, cur dubitemus.

§. 7. Certo igitur Quinto credimus ac persuasissimi sumus, Christum sanationi illi in circumcisione Judæis consuetæ, partiali, opposuisse sanationem totius corporis, paralytique universali laborantis hominis. Scil. asserimus, Christum calumniis atque injuriis Judæorum affectum, ut se contra istos defenderet, uti alias consueverat, ex propriis principiis eosdem refutasse, proprioque gladio jugulasse. Noverat equidem Jesus Judæorum paternis traditionibus contrarium esse hominem, de cujus vitæ periculo, si in posterum diem ægrotus relinqueretur, non timendum esset, sanare. Nec ignota ipsi erat consuetudo illorum, quod circumciso præputio, medicinam aliquam adhibere & emplastrum vulneri imponere citra omnem Mosaicæ Legis solutionem de Sabbatho sanctificando prælatæ, liceret, imo deberet. Ea propter ut os ipsis obtrudat, ut ad silentium eos redigat, ut maleferiatum Judæorum animum aperiat traditionem traditioni opponit, & sic κατ' ἀντιθεσιν contra Judæos sequentem in modum argumentatur:

Si vobis Judæis in Sabbatho, citra Mosaicæ legis solutionem licet, *in uno corporis membro*, per circumcisionem læso, medicinam, sanguine exsugendo, emplastrumque imponendo, adhibere, ne in posterum usque diem majus periculum timendum sit: Quanto magis mihi licebit homini paralyti eaque universali (per §. 2. 3.) laboranti, qui ex uno in alterum locum, alium auxilio privatus, moveri non poterat, (per §. 4.) huncque morbum jam per triginta & octo annos habebat (§. 1.) sanitatem restituere eumque TOTUM rursus sanare. Sed licitum hoc esse vobis omni modo contenditis (§. 5.) Ergo & mihi licitum erit, per regulas tam divinas, quam etiam sanæ rationis.

§. 8. Hæc nostra mens est B. L. hæc nostra explicatio, causæ Christi contra Judæos dictæ, quam ex Historia Circumcisionis Judaicæ, quam optime illustrari posse putavimus. In hoc si quæ addenda putas, adde: Si quæ corrigenda corrige, nos habebis nihilominus amicum.

*Isebrandi Eilhardi HAR-*  
**KENROHTII,**  
*Ecclesiastæ Hindelopenfis*

Dissertatio

*Topographico-Theologica*

de

*Monte Sublimi,*

in quo Christus a Diabolo tentatus perhibetur. *Matth. IV: 8. Luc. IV: 5. 6.* qua modeste inquiritur, de Montis situ, è cuius cacumine eminus Servator videre potuit, *omnia Regna Mundi & gloriam eorum*, qui conjicitur idem fuisse, in quo Christus transfiguratus legitur. *Matth. XVII: 1- Marc. IX: 2- Luc. IX: 28-*

§. 1.

**S**apientissimo mortalium Salomoni quondam demiranda in intellectu obversabatur *דרך נחש עלי צור* *Via Serpentis super Petram*: ut ipse in Sermone, quem habuit *לאיתא*, profitetur

LII 3

*Prov.*

Prov. XXX: 18. ingenue subinnuens, se non  
 adeo posse illam assequi. Quis unquam tanto  
 præditus ingenio acri, tanta præ aliis valuit  
 dicendi facundia, qua potuerit effari non solum  
 τὸ βάψα τῆς σατανᾶς, sed & μεθοδεῖας illas ve-  
 teratoris, quibus aggressus Dominum no-  
 strum, verum *Illud Mulieris Semen*, tentavit,  
 quamvis irritato conatu; nec dicere est, quam  
 funestissima consilia fuerit molitus adversus  
*Rupem seculorum*, & omnes illos, qui vera fide  
 fissuras ejus inhabitant. Mirabile sane præ-  
 ludium, imo stupendum plane, (si quis at-  
 tenta mente fuerit contemplatus,) ipse edi-  
 dit, tribus singulis vicibus jejunantem Chri-  
 stum, servatorem nostrum, adortus, prout  
 uterque Evangelista *Matthæus IV: 8.* & *Lucas*  
*IV: 5. 6.* totam tentati Sospitatoris historiam,  
 omnibus suis circumstantiis descriptam reli-  
 quit, in qua, si quid hætenus Interpretibus,  
 quod sciam, difficile explicatu visum fuit, eo-  
 rumque torsit ingenia, non absque gravi ra-  
 tione dixerim, esse illum Diaboli Tentatoris,  
 gressum, quo in monte sublimi constitutum  
 Christum adortus, monstravit Domino intu-  
 enda omnia regna Mundi eorumque gloriam  
 ἐν συμῶν χρόνῳ. *Luc. IV: 5.* in puncto temporis,  
 vel ut *Syrus* vertit, in tempore parvo. Pluribus  
 visum fuit, non ita ἰσχυρῶς contigisse, sed  
 debere intelligi de modo aliquo visionis in Spi-  
 ritu, vel repræsentationis, ad animum Chri-  
 sti, exhibentis aliquod schema horum omni-  
 um

um regnorum mundi. Ubi autem attentius de circumstantiis rei gestæ ejusque relationis cogitare cœpi, putavi quempiam posse, difficultates, quæ aliquatenus videntur obstare, si rem recte instituat, superare, quod an probavero sequente Dissertatione, ipse eruditus & benevolus Lector experiatur.

§. 2. Ipsam relationem Historiæ, verbis Evangelistarum, consignabo. *Matthæi IV: 8.* Πάλιν ὡς λαμβάνει αὐτὸν ὁ Διάβολος, εἰς ἕρεθον ὑψηλοῦ λόφου, καὶ δείκνυσιν αὐτῷ πάσας τὰς βασιλείας τῆς γῆς καὶ τὴν δόξαν αὐτῶν. (a) *Rursum assumit eum Diabolus, in montem valde sublimem, & ostendit ei omnia regna mundi & gloriam eorum.* Nec non *Lucæ IV: 5.* Καὶ παραγαγὼν αὐτὸν ὁ Διάβολος εἰς ἕρεθον ὑψηλόν, ἰδειξάν αὐτῷ πάσας τὰς βασιλείας τῆς οἰκουμένης ἐν στιγμή χρόνου. *Tunc quum subduxisset eum Diabolus in montem sublimem, ostendit ei omnia regna terræ puncto temporis.*

§. 3. Priusquam de Monte hoc sublimi institutam, pauca monenda habeo, de vera quoque verborum significatione quædam anticipabo, ita facilius fortean evadet notitia Historiæ, rei gestæ & clarior: intercedit quippe inter *Matthæum & Lucam* differentia, in relatione ordinis tentationum, *Matthæus* hanc

LII 4 in

(a) Liceretne cum his comparare hæc Ovidii *Met.* L. II. vs. 95. *Denique, quidquid habet dives circumspice mundus, Equæ tot ac tantis coeli terræque marisque Posce bonis aliquid.* T. d. H.

In Monte ultimam, Lucas secundam fuisse tradit; non adeo anxius jam hæreo de illa Evangelistarum ἐναντιώσεις, cum mihi pro instituto perinde sit, utrum quis eligat; pluribus Lucas hæctenus visus fuit accuratorem, præ aliis Evangelistis, temporis rei gestæ habuisse rationem; Spanhemio (*Dub. Evangel. LVI. §. 4. part. III. p. m. 250.*) videtur *Matthæus* in hac relatione ordinem historicum secutus, quia *Stapulensis* monuit vetustissimos Codd. quosdam eodem ordine tentationes illas in textu *Lucæ* referre, quo nunc in eo *Matthæi* leguntur, prout etiam ex *Ambrosii in Lucam Commentario* constat, addidit adhuc alias rationes, quibus acquiesco, quia de monte hoc propior in Galiliæam Christo patebat via, qua recessit utriusque Evangelistæ & *Marci* I: 44. fide.

§. 4. Ne autem quis τὸ παραλαμβάνειν adhuc tam violenter torqueat, quasi admitteret significationem τῆς, per aërem rapere, debui unum alterumve locum proferre, in quibus se alicui jungere comitem indicat, stylographorum N. T. *Matth. XVII: 1. XX: 17. XXVI: 37. Luc. IX. 10. 28. XI. 26. & Æliani Var. Hist. II: 4. καὶ κοινωνὸν αὐτῆ μὴ θελήσας παραλαβεῖν τὸν ἐρωόμενον*, *Ἐμασίμ* in societatem ejus facinoris assumere volebat 18. *Timotheus* παρακληθεὶς assumptus à Platone ad convivium in *Academia* aliorumque. *Lucas* ἀνάγειν adhibuit eadem significatione, IV: 5. conf. XXII: 66. *Act. IX: 39. XVI: 34. ἀναγεται* Hesychio ὁδηγεῖ.

γῆται. Elegans hujusce usus penes *Ælianum* V. H. XII: 1. ubi de *Aspasia*, unus ex *Satrapis* *Cyri* cum aliis etiam *Virginibus* ἀνήγαγεν eam duxit ad *Cyrum*, in Regis conclave, & *Herodianum* II: 4. de *Pertinace* ut filium quoque jam adolescentem μήτε εἰς τὴν βασιλείον αὐλὴν ἀναγαγεῖν in aulam regiam nunquam adduxerit. LXX. *Jer.* XVI: 14.

§. 5. Δεικνύειν monstrare eminus situm locum, non est quod impediatur, βασιλείας ditiones, quid si verterem, vel regna, nihil obstat, subintelligo incolas regni, Regi subditos. *Matth.* XII: 25. XXIV: 7. *Marc.* III: 24. XIII: 8. *Luc.* XI: 17. 18. XIX: 12. 15. *Job.* XVIII: 36. *Judæa* regnum. *Luc.* I: 5. in *Tetrarchias* divisum filiis *Herodis Magni* parebat. III: 1. οἱ βασιλεῖς τῆς γῆς *Act.* IV: 26. dicti, qui summa, penes *Judæos Christi* tempore, auctoritate pollebant: hinc *Herodes Antipas*; *Galilææ* & *Perææ* *Tetrarcha*, *Marco* βασιλεὺς dicitur. VI: 14. qui aliis *Evangelistis* *Tetrarcha*: non adeo ineptum foret, si *tetrarchias* & *βασιλείας* conferrem, limites cujusque regni non semper æquè late extensi patent, accedit *Judæam* & *Samariam* diverso Regi paruisse olim, & regiones *Terræ Sanctæ* conterminas etiam parvas quasdam, Regibus singulas paruisse, nec abluderet stylus exoticorum scriptorum, qui angustas ditiones Regi subjectas, βασιλείας dixerunt, ut constat. Deinde ἰσομοῖ *Matthæi*, οἰκιστὴν *Luce* indigent *Terram Sanctam*,  
 LII 5 vel

vel liberalis ero, & omnes adjacentes regiones Philistæorum, Syrorum, Arabum, Moabitærum, Ammonitarum, Idumæorum, aliorumque. Δόξα αὐτῶν gloria eorum sit locuples urbium, fortalitiarum, subditorum, numerus. מלך עם הדרת מלך In multitudine populi est gloria Regis. Prov. XIV: 28. Hæc præmonuisse sufficiant.

§. 6. Jam, ubi de Monte hoc sublimi institutam, non absre monendum duxi, Montem hunc frustra quæri vel nihil certi de ejus situ posse definiri, si non aliqua ejus ratio ex relatione utriusque Evangelistæ iniri possit & ex nexu historię investigari legendo vestigia Immanuelis, quod hæctenus mihi non in animum induxi, nec induci patiar: montem ὄψηλον imò ὄψηλον λίαν hunc suppono (\*) situm fuisse haud ita procul finibus Galilææ, quo reversus est tentatus Christus, imò in ipso Galilææ limite, ex quo propior in Galilæam via. Matth. IV: 12. Marc. I: 14. adeoque in contiguo limite Nephtalitarum & Zabulonitarum, nec ita procul eremo juxta Jordanem fluvium ad cujus utramque ripam spatiosus undique campus erat, cinctus ingente montium tractu, distabat à Montano Judæ CL. stadiorum latitudine, autore Josepho Antiq. Jud. XII: 1, tota planities ad Lacum Asfaltitem excurrerat. de Bello Jud. III: 18. Ne quis amplius rejiciat eorum sententiam, qui πρὸς τὴν ἰσραήλ Job. I: 28. 29. coll. Matth.

*Matth. III: 1. 6.* eremi partem statuunt cum utraque Jordanis ripa alluat *μαθὴν ἐρημίαν*, fide Eusebii Demonstr. Evangel. IX: p. m. 268. Edit. Lutet. ex Officina Rob. Stephani (β) de hujusce montis vertice potuisse monstrari omnia regna mundi, ditiones Judææ, Samariæ, Galilææ, Iturææ, Trachonitidis, Abilene, & hisce confines: quod si aliqua saltem probabilitatis specie lectori erudito commendavero, accideret mihi gratissimum, paucis quantum pote defungar.

§. 7. In Monte *Tabor* pedem figam, ne nimis vagus videar, duce Historico Sacro Θεοπνεύτω litum hujusce inquiram & definiam, de etymologia ejus parum sollicitus: in finibus regionis tribus Iissaschar memoratur *Jos. XIX: 17-23.* Et fuit terminus Iissascharitarum in familiis suis.

יזרעאלה	Alex.	Ἰεζρεήλ	Jizreëlab.
הכסלור		Ἀκασίλωθ	Hakkesylloth.
שונם		Σουνέμ	Schouneem.
חפרים		Ἀφεραίμ	Chapheraim.
שיון	Ald. & Compl.	σηών	Schijon.
אחרת	Vatic.	Ἀναχέρεθ	Anacharatb

in Cod. Vaticano, inter duas Urbes modo memoratas, inserta legitur *περηώθ* & *μοχ Δαβερών* contra Textus Hebræi fidem.

רביח	Alex.	ῥαββωθ	Rabbith.
קשין	Vat.	κισών	Kischjon.
אבץ	LXX.	vitiose	Abetz.
רמת			Remoth.
עין גנים	Compl.	Ἐγγάνιμ	Eugannim.
עין חדה		Αναδά	Enchaddah.
בית פזץ		Βηθφασις	Bethpatzetz.

deinde pergit ופגע הגבול בתבור *καὶ συνέψατε τὸ ὄριον ἐν* (Vat.) *ταυθωρ* (rectius legitur in Edit. Ald.) *θαβωρ*. Et pervenit terminus in Thabor

& חצומה Ald. & Compl. *Σασιμα'* Schachatzimah ita me docuere, nomen hujus urbis scriptum per *vau* legendum esse per *jod*, eruditi *Masorethe*, quod ab Interpretibus Græcis observatum videmus. In Cod. Vaticano Græcæ Versionis redditur *καλὶμ κατὰ τὸν λασσαυ*.

& בית שמש Bethschemesch. Jam probe novimus, quod à Bethpatzetz Iissascharitarum terminus pertingat ad vel versus THABOR, quæ Urbs fuisse credatur, quia censum sedecim Urbium Iisschariticæ tribui assignatarum ingreditur. *vf. 22.* habeo autem, quod moneam *Celeb. Relandum (Palæst. Illustr. tom. III: p. m. 657.)* jam observasse, phrasin *גבול פגע ב* in determinandis regionum finibus passim indigitare, *incidit, pertingit, pervenit limes ad,*  
in,

in, versus, quin imo adhiberi etiam de locis extra regionem tribus sitis, ut de termino Ephraimiticæ portionis. *Jos. XVI: 7.* פּוֹנֵי יִרְיָה incidit versus Jerichuntem, Benjaminiticæ accensendam. *XVIII: 21.* nec opus huic inhærere: adeoque mons *Thabor*, in cujus acclivi sita Urbs ejusdem nominis, clausit terminum regionis Iissascharitarum. Testem nuncupo *Flav. Josephum*, autorem gravissimum, *Antiq. Jud. V: 1. p. m. 141.* post hos *Mennassitas Ijascharis* regioς κάρμηλόν τε ὄρεσσι καὶ τὸν πόταμον τῆς μήκτις πιπταμένη πέριξ τὸ δὲ Ἰταβύριον ὄρεσσι τῆς πλατῆς, quam *Carmelus* mons ὁ fluvius *Kischon* ad longitudinem, mons *stabyrius* ad latitudinem determinat quippe à latere boream versus, ad ortum aliquatenus flexo.

§. 8. De regione Zebulonitarum, ad meridiem versus aquilonem maxime inflexa, non videtur tota ad mare Tiberiadis usque protensa fuisse, terminus ejus excurrerat. *Jos. XIX: 10.* ad *Sarid*, inde redit, à *Sarid* anteriori versus ortum Solis ad terminum יַבֵּי תַבְרוֹן in *Edit. Complut. LXX. Viralis Græcæ Versionis* κασιδιωθ θαβώε laterum *Tabor*. Hic quæras *Tabor* Urbem, ejusque suburbia, quæ *Merarithis* è portione tribus Zebuloniticæ cessisse legimus. *1. Chron. VI: 77.* & attendas *Caper-naum*, τὴν ἁγίαθαλασσίαν fuisse ἐν ὁρίοις Ζαβουλὼν καὶ Νεφθαλείμ in finibus *Zabulon* ὁ *Nephthalim*. *Matth. IV: 13.*

§. 9. De finibus regionis tribus Nephthali, ita pergit Autor, vere Divinus, Libri Josue XI x: 32-34. Et fuit terminus eorum à  $\eta\lambda\eta$  Cbeleph & ab Elon in Tzagnannim, & Adami bannekeb & Jabneël usque ad  $\alpha\lambda\kappa\kappa\acute{\alpha}\mu$  in Edit.  $\tau\acute{\omega}\nu$  Complut.  $\lambda\alpha\kappa\kappa\acute{\alpha}\mu$ ) Lakkoum & fuerunt exitus ejus Jarden. Et redit terminus ad Mare, (puta Gennesar)  $\alpha\lambda\zeta\alpha\nu\acute{\omega}\varsigma$  Alex. Cod.  $\alpha\lambda\zeta\alpha\nu\acute{\omega}\varsigma$   $\theta\alpha\beta\acute{\omega}\varsigma$  Aznoth Thabor, & progreditur illinc Chykkokah & pervenit ad Zebulon à Meridie & ad Aser pervenit ab Occidente, & ad Jebudab in Jardenem, ab ortu Solis.

§. 10. Jam ex adductis colligo montem Thabor tantæ molis fuisse, ut tribus Issascharis, Zebulon & Nephthalim non absque ratione dixerim, in ejus pede seu pedis lateribus, terminos portionis suæ, singulas posuisse, prout abunde constat cuique ex intemerata fide Historiographi seu Geographi sacri. Jam de ipsius hujusce montis situ pauca instituem, (videatur Clar. Hadr. Relandi Palæst. Illustr. Lib. I. cap. 51.) ex Eusebio.  $\theta\alpha\beta\acute{\omega}\varsigma$ ,  $\theta\epsilon\lambda\iota\omega\upsilon$   $\alpha\lambda\zeta\alpha\nu\acute{\omega}\nu$   $\epsilon\sigma\tau\iota$   $\delta\epsilon$   $\theta\epsilon\lambda\iota\omega\upsilon$   $\epsilon\upsilon$   $\lambda\acute{\eta}$   $\mu\epsilon\delta\iota$   $\alpha\delta\iota$   $\kappa\epsilon\iota\mu\epsilon\nu\omicron\nu$ ,  $\delta\iota$   $\sigma\eta\mu\epsilon\iota\omega\upsilon\iota\omega\upsilon$   $\epsilon$   $\Delta\iota\omicron\kappa\alpha\iota\sigma\alpha\rho\epsilon\iota\alpha\varsigma$   $\kappa\alpha\tau\alpha$   $\alpha\upsilon\alpha\tau\omicron\lambda\epsilon\iota\varsigma$ .  $\tau\acute{\omega}$   $\delta\epsilon$   $\alpha\upsilon\tau\acute{\omega}$   $\kappa\alpha\iota$   $\theta\epsilon\lambda\iota\omega\upsilon$   $\eta\upsilon$   $\Phi\upsilon\lambda\acute{\eta}\varsigma$   $\text{Issachar}$   $\kappa\alpha\iota$   $\text{Nephthalim}$  Thabor, terminus Zabulon: est autem mons in planitie situs in decimo milliaro Diocæsareæ versus Orientem: hic autem etiam erat terminus tribus Issachar & Nephthalim. Fallitur itaque Jac. Zieglerus, qui pro ratione sui ævi, Terram Sanctam descripsit, fol. m. 29. ubi de tribu Nephthali & hocce Monte,

te, omnino est is diversus à Tabore, qui per latam  
tribum Ifaschar, extenditur. Etiam Josephum  
potuiffem nuncupare testem, qui eundem  
monti huic situm tribuit, sed prolixiori indi-  
geret demonstratione, cui in sententia adeo  
trita illustranda non operosus inhærebo, ne li-  
mites dati Bibliothecæ spatii transiliam.

§. 11. De altitudine montis hujus paucis  
defungar, supponens quemvis Lectorem, ex  
ampla latitudine pedis posse conjicere, cacu-  
men montis præaltum. Hieronymus addit  
Eusebio jam citato in Thabor, esse montem in me-  
dio Galilee, mira rotunditate sublimem. ὄρη  
ὕψηλον λίαν. Matthæus apprime dixit. IV: 8.  
ὄρη ὑψηλόν. Lucas IV: 5. quo epitheto nul-  
lus alius in Codice Novi Instrumenti mons  
cluet, de verbis Marci IX: 2. mox dicam, quæ  
Johanni in spiritu obtigit visio, mystice ac-  
cipienda. Apoc. XXI: 10. omnino non con-  
trarium suadet. Hinc adeo emphatice Hiere-  
mias XLVI: 18. כתבור בהרים ut Thabor in-  
ter montes. ἡ τὸ μὲν ὕψος ἐπὶ τριάκοντα σταδίας  
ἀνίσχει, μάλιστα προσβατὸν κατὰ τὸ προσάγειον  
κλίμα. Πεδίον δὲ ἐστὶν ἢ ἡερυφὴ σταδίων ἑξ καὶ εἴ-  
κοσι πέντε πενησμένον. *cujus altitudo quidem tri-  
ginta stadiis exsurgit, septentrionali tractu fere  
inaccessus mons. In vertice autem viginti sex  
(Rufinus viginti) stadiorum planities patet, to-  
ta muro circumdata? Si non laborat Josephi fi-  
des de Bello Jud. IV: 6. vel. 2. juxta distinctio-  
nem Interpretes Latini. Illum in definienda  
alti-*

altitudine sequuntur *Jac. Zieglerus, Wolsfg. Weis-*  
*senburgius* in *Descript. Terræ Sanctæ* fol. m. 141. b.  
 in *Thabor*, hunc in latitudine verticis. *Poly-*  
*bius*, autor gravissimus, *Hist. V: 70.* ubi de  
 Urbe *Atabyrio* (memorata *Jos. XIX: 22.*) neu-  
 tiquam refragatur *Josepho*, dum refert, κείτοι  
 μὲν ἐπὶ λόφῳ μαρσιδῶς τὴν δὲ πρὸς βορρῶν ἔχει  
 πλεῖον ἢ πεντεκαίδεκα. σταδίων, ex *Versione Is.*  
*Casauboni.* Id oppidum in colle situm est, ex  
 plano leniter se attollente, ad cujus summum verti-  
 cem stadia numerantur quindecim. Si modo oppi-  
 dum hoc in medio montis aëclivis situm po-  
 nas. Octo stadia si confecerint integrum mi-  
 liare Romanum, facile quis altitudinem mon-  
 tis demetiretur, & verticis latitudinem.

§. 12. Distabat mons *Thabor* itinere bidui,  
 autore *Michaële Glyca* *Annal. part. III: pag.*  
*215.* citante *Relando* l. c. vel tridui, perinde  
 enim est, *Hierosolymis*, sancta Urbe, conf.  
*Matth. IV: 5. Luc. IV: 9.* intervallum, quod  
*Sospitator* noster pedibus confecisse credatur,  
 nihil obstat. Proxima monti patebat in *Gal-*  
*ilæam* via. *Matth. IV: 12.* videtur quam appri-  
 me sententia qualiscunque nostra simplici nar-  
 rationi *Evangelistarum* & commoditati *Hi-*  
*storiæ* convenire: utinam & ego ita satisfacere  
 possem *Lectori æquo & benevolo*, in se-  
 quentibus, ubi de *commonstratione regno-*  
*rum Mundi* agam, forte *Domini nostri &*  
*Diaboli oculorum* acies longe obtusior cuipi-  
 am videbitur, non mihi: undique enim de  
 cacu.

cacuminae Montis patebat prospectus altior & clarior, quem terminabant passim jugera montium in confinibus *Terræ Sanctæ* tractibus eminus, longe quidem, sed distincte Topographiæ Sacræ peritissimo, Christo & vaserimo ipsius hosti, Principi Mundi, intuenda, monstranda. Quantum pote elucidabo, ne vel minima resideat difficultas, remoturus cuncta, quæ videbuntur obstare huic asserto, versus quatuor mundi plagas.

§. 13. Orientem versus, è vertice Thabor, eminus monstranda veniebat, Regio Transjardenensis מנהל ארנון עד הר הרמון à fluvio *Arnon* usque ad montem *Chermon* terminans. *Deut.* III: 8. conf. IV: 47. 48. 49. quondam *Emoræorum*, *Moabitarum*, *Ammonitarum* sedes montana: austrum versus termini *Terræ Sanctæ* sunt iidem ac regionis tribui *Judæ* assignati, à littore australi *Lacus Asphaltites* usque ad fluvium *Ægypti*, describuntur. *Jos.* XV: 1-4. integer hicce tractus montanus *Idumæis* quondam & filiis *Seir* cesserat: limes Occidentalis *Terræ promissæ* legitur *Mare Magnum*, *Sidonem* usque. *Num.* XXXIV: 6. à latere Boreali, excurrit usque ad *Chamatham* v. 7. 8. *Damasco* vicinam. Ita rudiori penicillo terræ *Immanuelis* fines depinxisse sufficiat, ex monumentis historiæ sacre antiquioris ævi, cui illa serioris respondet, quatenus ex Codicibus Evangelistarum confici proclive est. Tota terra & tractus vicini, *Judæa*, *Te-*

frarchia Galilee, Ituræe, Trachonitidis, & Abilenes. Luc. III: 1. vel Galilea, Decapolis, Judea & Perea. Matth. IV: 25. τὰ μέγιστα τῶν ἐπισημοῦν. XV: 21: Descriptionem utriusque Galilee, ex qua termini totius Palæstinæ Septentrionalis, Perea, ex qua Orientales, Samaria & Judea, ex qua Australes nobis innotescunt, satis graphice consignatam reliquit, Josephus, qui diebus Messiae incarnati ætate proximior & fide dignior Historicus de Bello Jud. III: 2. Merentur conferri, quæ monuit Clar. Ligtfothus, & Relandus, de limitibus Terræ sub Templo Secundo.

§. 14. Jam quæ difficultas, quæ idonea dubitandi ratio, de eo, non ita ἱσχυρῶς contigisse, quod Satanus tentator monstraverit omnia regna Mundi Christo tentato, cuiquam Geographiæ Sacræ perito superlit, fateor me adeo ignorare, num ex monte præalto Thabor non poterit eminus monstrari, conspici, ortum versus, prisca Moabitarum montana sedes & vicinorum ab utroque latere populorum, occidentem versus Mare magnum eique contiguus Carmel, ad Austrum, Idumæorum tractus, quamvis remotior, favente planitie ad Jaroenem usque Mare Sodomiticum protensa, qui alto iugerum vertice surgebat usque versus Ægypti limites, ad Boream κλίμαξ τῶν ὄρων, Libanus, Anti-Libanus, præalta montium jugera, imo ipsa Trachonitis Arabiæ proxima? huc apprime veniunt,

niunt verba *Phoca* citata *Celeb. Relando* (*Pa-*  
*læst. Illustr. Lib. I: 51. p. m. 334.* ex hoc monte  
 potuisse spectari *Libanum* καὶ δύο μεγάλας βενέε  
 ἢ μέσσην ἢ Δαμασκὸς ἰδρυται & duos magnos  
 colles (*Trachones* quorum meminit *Strabo*  
*Geogr. XVI.) in quorum medio Damascus sita*  
*est.* Non habeo, quod moneam Terram  
 sanctam ejusque confines populos & regna  
 contigua, ditiones conterminas, quæ susti-  
 nent emblemata Gentium Mundi, vidisse, idem  
 valeat stylo sacro ac vidisse omnia regna Mundi  
 eorumque gloriam. Si autem alicui non videat-  
 ur altitudo Montis huic remotiori conspectui  
 suffecisse, attendat latitudinem verticis vi-  
 ginti stadiis demensam, in cujus planitie con-  
 stitutus *Domiaus* obambulabat cum *Tentato-*  
*re,* quæ latitudo, in circulo suo, spectatorem  
 undecunque objecto *Visus* propriorem toti-  
 dem stadiis sistebat. Si quis ad leges calcula-  
 tionis *Mathematicæ* hujus asserti velit inire  
 rationem, montem præaltum ultra septem  
 miliaria *Germanica* à littore *Maris* distitum, à  
 nautis, sudo cælo, posse eminus videri è ma-  
 lo navis, ad totidem miliarium à littore di-  
 stantiam, jam quatuordecim miliarium *Ger-*  
*manicorum* intervallum, oculorum acies su-  
 perat è malo septuaginta pedum, altitudinem  
 montis XXX. latitudinem XX. stadiorum in  
 vertice, observet, forte mihi adstipulabitur,  
 quippe altitudo unius miliaris *Germanici* ad-

mittit spatium quinquaginta quinque horarum  
& viginti minutorum.

§. 15. In monte Moriah, promissionis filius, Isaacus unigenitus, jussu Dei, tentantis in bonum Abrahami patris fidem, immolandus, à patre suo, ligno impositus, minante gulæ cultro, è præsentissimæ mortis faucibus, in vitam quasi restitutus. *Hebr. XI: 17. 19. hæres Mundi, sensu μυσικωτέρω, declaratus est. Gen. XXII: 17. 18. & Semen Benedicens. Gal. III: 16.* Arca Jehovæ, à Philistæis capta, in triumphum acta, Asdodi in Templo Dagonis, ut opima belli spolia, posita, mox dejectum Dagonem & capite & manibus truncatum plectit ad limen januæ 1. *Sam. V: 1-4.* hi sunt apices viarum Messiaë, cujus morte scisso velo, cœlis apertis, licet credentibus sub Oeconomia gratiæ testamenti Novi ἀνακαλυμμένω προσωπῳ intueri, in atrio templi mystici, Mare Æneum, & thronum gratiæ, glorificati in cœlis, Sanctissimo Adyto Christi Domini nostri, fundatum æterno fundamento plenariæ justificantis Sanctificationis, acquisitæ sanguinis in morte Goëlis effusi imò ipsius mortis, pretio inæstimabili, depicto quondam rivo sanguinis victimarum ad latus Altaris Ænei maçtatarum: passim idem locus & exinaniti & exaltati Christi, illustre exhibuit theatrum, à singulis credentibus in fide contemplandum, ad radicem Montis Oliviferi, in horto Gethsemane, sensisse cepit

pit extremos animi dolores contristati, servator noster, peccatorum nostrorum onere pressus, è cujus acclivi vertice prope Bethaniam, intra quinquaginta abhinc dies, ascensione in altissimum cœlum glorificandus erat, neutiquam quis existimet, me adeò aberrare viâ, si dixerim, montem Thabor, theatrum humiliati Messia à Diabolo tentati, etiam exhibuisse, illud, glorificandi, in Regno suo, Christi sub schemate transfigurati, cujus illustris Historiæ testes *Matthæus XVII: 1. Marcus IX: 2. Lucas IX: 28.* & ipse *ἐπίπτης τῆς ἐκεῖνης μεγαλειότητος Petrus II. Epist. I. 16. 17. 18.* sunt.

§. 16. Quamvis sententia hæc non nova sit, sed dudum ab omnibus ferè antiquioris Ecclesiæ Christianæ Doctõribus recepta, quæ magnos superioris subsellii Viros Clarissimos adversarios naçta, tamen me (quamvis exigua nec adeò ampla supellectile instructo,) vindice digna est, vestigia Christi legam ex simplici & unanimi trium Evangelistarum relatione, ut à pluribus hæctenus rejecta sententia, quæ canam antiquitatem præ se fert, quantumpote evadat notior & clarior. Iter suum Dominus noster Jesus Christus ita instituit, fide *Matthæi XIV. 34.* è regione Genesar secessit ad fines Tyri & Sidonis. *XV: 21.* indè ad Mare Galilææ *vs. 29.* navi trajecit in regionem Magdalæ contiguam, mox in confinia Cæsareæ Philippi se contulit. *XVI. 13.*

sexiduo post, cum tribus discipulis, Petro,  
 Jacobo & Johanne, comitibus, montem, in  
 quo transfiguratus legitur, conscendit. XVII:  
 1. tum per Galilæam vs. 22. Capernaumum  
 vs. 24. pergit, Jardenem trajiciens, per Pe-  
 ræam in Judæam tendit, & per Jerichunta  
 ac Montem Oliviferum versus Hierosolymas  
 iter instituit. XIX: 1. XX: 29. XXI: 1. prout  
*Marcus & Lucas* prodidère. Spatio sexidui  
 Christum substitisse in vicis Cæsareæ Philip-  
 pi, nemo hætenus, quod sciam, idoneis  
 argumentis adstruxit, quamvis qui contra-  
 riam tuentur, nobis studeant tacite persua-  
 dere, quid si liberalis adeò, ipsis biduum vel  
 triduum indulgerem, eandem & ego expo-  
 stularem liberalitatem, quæ sufficit submini-  
 strando justum tempus, quo iter è vicis Cæ-  
 sareæ Philippi ad Thabor instituere ac inter-  
 vallum superare potuerit Dominus; quin imò  
 ex hoc monte propior in Galilæam, atque  
 Capernaumum *ἐν οὐρανοῖς Ζαβουλὼν καὶ Νεφθαλείμ*  
 tendebat via. Si autem alicui videatur ra-  
 tio hujus itineris (quæ ipsi adeò ignota ac  
 mihi) suadere, Jesum à Cæsarea Philippi non  
 esse profectum ad montem Thabor & inde  
 reversum ad Capernaum, propius adeò diver-  
 ticulum, Christi *ιδίαν πόλιν*, merum figmen-  
 tum est, quod nostram qualemcumque sen-  
 tentiam autoritate & consensu tot Docto-  
 rum, ætatis ævo Christi Apostolorum pro-  
 ximioris munitam, non evellit, potuit Ser-  
 vato-

vatori constitisse ratio, quam si scirem, suppressere sacrilegium dixerim, si cui videatur dissonum Dominum tam citò sua relegisse vestigia, ipse in hac connexa attendat præcedente Historia, ipsum è regione Genesaride ad fines Tyri & Sidonis, inde ad Mare Galilææ iter instituisse, cujusmodi plura, si vellem adeò operosus immorari, promerem. Multum præsidii *Ligtfootus* (*Horæ Hebr. in Marc. IX: 2.*) sententiæ suæ, nostræ vel communis antiquæ, adversariæ quæsit, in eo, Evangelistas nullam loci mutationem innuere, hoc tantum dicentes, quod tres ex discipulis suis Christus in montem duxit; de hac qualicunque hæsitatione Clarissimi & Magni Viri honorificè sentio, verum tamen inficior, ex eo quod Evangelistæ loci mutationem reticent, posse colligi, Messiam non mutasse solum, imò, ubi locum alium memorant, assignando justum tempus itineri instituendo sufficiens, illico idoneis rationibus adducor, ut credam; Illum eo iter instituisse, non enim habeo, cur de veritate historiciæ relationis dubitem; quamvis fatear haud ita procul Cæsarea fuisse montem satis altum, quem nunquam eâ intentione *Ligtfootus* quæsiisset, si non hisce præjudiciis fuisset oblitus, reticentiam Evangelistarum, (sane imaginariam, nam interstitium sexidui produnt,) probare Messiam non mutasse locum, quam si in omnibus ipso

duce attenderemus, utique misere cæspitan-  
tes, nosmet aliorum exponeremus cachin-  
no. Urget Cl. *Relandus* *Palæst.* L. I. c. 51. p.  
m. 335. illud καὶ ἰδίαν sive seorsim *Matth.*  
XVII: 1. & *Marc.* IX: 2. non spectare ad  
montis situm, nec credi debere, redundare,  
si referatur ad *ducere*, licet sequatur penes  
*Marcum* μόνος, nam potuissent plures seorsim  
duci, quam hi soli, certè veteres Christiani  
Doctores illud καὶ ἰδίαν sumserunt, de monte  
Thabor non aliis montibus juncto; sane non  
video, esse quid in eo argumenti, quo in-  
ductus, sententiam mutare cogar, etiam si  
fatear me hoc concedere Viro Celeberrimo,  
ὄν Μακαρίου, quin imo ne hilum quidem de-  
cedit ponderis nostræ satis probabili conje-  
cturæ, vel aliquibus saltim ἰσοπίμοις aliorum  
rationibus firmatæ, quibus addo. Si hoc  
verum sit, Christum esse glorificatum in  
Monte prope Cæsaream Philippi, qui potuit  
ipsi & Discipulis ejus tribuere ἀναστρέφεται ἐν  
τῇ Γαλιλαίᾳ *Matthæus* XVII: 22. loci mutatio  
non refertur sed morari in Galilæa, colli-  
go inde montem hunc in Galilæa vel huic  
regioni prope Capernaumum. vs. 24. conti-  
guum fuisse. Accedit ipsum è via in domum  
alicujus divertisse. *Marc.* IX: 28. & ambulasse  
per agrum & vias Galilææ. vs. 30. deinde  
iter Capernaumum instituisse. vs. 33. quod  
longo post tempore accidisse videtur, (imo  
post Festum Encæniorum, in mense Adar,  
cele-

celebrandam Hierosolymæ, ) probandum ex  
 solutione Διδεχουων. Matth. XVII: 24-27.  
 Lunaticum sanatum in regione Galilææ, nemo  
 fortean dubitabit, haud ita procul monte  
 Transfigurationis gloriôsæ. Videtur id proba-  
 bile, vel ex eo, quod Discipulis suis respon-  
 disse Dominus perhibeatur præter cætera: *Si*  
*habebitis fidem, ut granum sinapi dicetis τῷ ὄρει τῷ*  
*τῷ monti huic coram sito, alto, magno. vs.*  
 20.

§. 17. Ne ad nauseam Lectoris videar huic  
 Monti inquirendo inhæsisse, brevibus sen-  
 tentiam qualemcunque nostram, vel aliqui-  
 bus rationibus ceu argumentis dedi probabi-  
 lem. Absque salutis dispendio ab aliis invi-  
 cem dissentiant Eruditi in rebus affinis mate-  
 riæ, si autem quis hæreat, quam sequatur,  
 stabit in bivio, potius aliquid dicendum exi-  
 stimem, silere enim bruti est; si cui nostra  
 non arrideat conjectura, ejus vel levem ja-  
 cturam patiar, est autem firmata, (si non  
 cæcus sim,) iisdem rationibus probabilibus,  
 ac ea, quam alii tuentur, quisque suo abun-  
 det sensu, si certiora documenta adversus  
 communem & nostram sententiam quis pro-  
 tulerit ei gratias agam, utpote qui ex eorum  
 numero me esse lubens profiteor, qui profi-  
 cere student ex aliorum & proprio studio,  
 orbique Literato otiorum suorum dare ido-  
 neas rationes non erubescunt.

THEODORI HASAEI,  
De eodem MONTE  
Observatiuncula.

ARGUMENTUM.

Variae variorum de illo sententiae. Nihil certi de eo  
asserri potest. §. 1. An fuerit mons Oliveti, vel  
Calvariae, vel Nebo §. 2. Verosimile est fuisse par-  
tem montis Sionis. Quod ostenditur (A) ex ipsa  
narrationis Evangelicae serie. Περὺρον. Περ-  
λαυβαρεν. Αναγειν. §. 3. (B) quod ita discre-  
pantia inter Lucam & Matthæum imminuatur. §. 4.  
(C) Quia illi convenit descriptio montis τῆς ὑψηλῆς  
λιαν. Talis enim fuit mons Sion. §. 5. Id quod in-  
ter alia docetur Ps. XLVIII: 3. Verba ἤν ἡδῖ illu-  
strantur, & vertuntur. Pulcher altitudine. Pro-  
pria enim notio τῆς ἤν involvit altitudinem. ناو.  
§. 6. altitudo Sionis etiam aliis memorata. §. 7.  
Ex eo (D) fuit prospectus in longissime distita lo-  
ca. §. 8. Locus Jer. IV: 6. Sion notat speculam.  
Etymon Morias §. 9. Quomodo inde potuerint cerni  
omnia mundi regna §. 10. Cur (E) ille mons huic  
velitationi fuerit adhibitus §. 11. Non potuit (F)  
mons esse a Sione distantior §. 12. Auctores, qui  
hanc tentationis historiam illustrarunt. §. 13.

§. 1.

**V**ariae sunt Virorum doctorum de hoc monte sententiae: Communis maxime & pervulgata est opinio plerorumque, qui Palaestinam perlustrarunt, eum esse, qui etiamnum ut talis monstratur & vulgo *Quadrantana* sive *Quarantena*, appellatur; quod nomen non dubito, quia ab Italis, qui *quadraginta* dierum Christi in eo moram, significare voluerunt, fuerit nactus. Alii eum non procul ab urbe Bethaven collocant, eumque in hodiernum usque diem *montem Diaboli* dici scribunt, qui montem à Talmudicis scriptoribus *regalem*, in sacris autem paginis *הר יהודה*, *την ὄρειαν Ἰουδα*, dictum intelligunt. Neque desunt, qui terminos fere Phoenices transiliunt, & Libanon illam palaestram fuisse, in qua caelorum Dominus cum tenebrarum Principe decrevit, existimant. Bochartus causas sibi esse existimat, ob quas mons Horeb intelligendus sit. Id omnium certissimum est, nihil certi hinc figi posse, cum enim tota Judaea erat *ὄρεινη*, atque Hierosolyma circumquaque montibus cincta, ut legitur Ps. CXXV: 2. ecquis nobis silentibus Evangelistis indubii aliquid ostenderit? Praesertim cum occurrant tot ibi locorum montes alii, *ὄρηαι Λιβαν*, & e quorum verticibus in late circumjacentes campos prospectus patebat pulcerrimus.

§. 2. Talis v. gr. erat Mons Oliveti, ex-  
cel-

cellae altitudinis, ex quo licuit oculos usque in mare mortuum, longiusque etiam distitas plagas conjicere. De illo ego cogitavi saepius, sed, quod meas in illo cogitationes haud fixerim, inde factum est, quod causam indagare non potui, ob quam Evangelista eum suo non expresserit nomine, id quod tamen fit alias. Quid dicam de ipso Calvariae monte? Pateret sane latissimus pulcherrimis meditationibus campus, si ostendi posset in illis locis Satanam primo sospitatorum aggressum, vel in quo postea eum dirissimo quidem adortus est certamine, sed & in quo ipsemet contrito capite victus fuit & ex quo deinde Dominus tanquam triumphator in coelos rediit. Quid memorem montes Sapha, vel Zophim, Gareb, Hebal, Garizim, Salmon, Silo, Hermon, Galaad, Basan, Carmel, Sina, similesque, quos omnes in Palaestina, vicinisque regionibus altitudinis fama eminuisset constat. Adderem & Nebo, ex quo olim Mosi licuit magnam Cananitidis partem intueri, nisi scirem eum non ejus fuisse eminentiae, ut nomen *μαρ ὄψυλλε* potuerit sustinere. Equis nunc nobis dixerit, tanquam indubium, quis horum montium fuerit, in quo Servatorem aggressus est Satan?

§. 3. Si tamen conjecturis probabilibus quisquam delectetur, is sane, quod quaerit, inveniet, in monte illo, in quo aedificatum fuit

fuit templum, sive eum Sionem, sive Mori-  
 am quae Sionis erat pars, velis dicere. To-  
 ta enim (A) narrationis series apud Mat-  
 thaeum edocet, tres illas tentationes non  
 longo vel locorum, vel temporis intervallo  
 fuisse inter se disjunctas. Omnes enim uno  
 eodemque die videntur contigisse. Prima  
 facta est in eremo, in qua quadraginta dierum  
 moram fecerat Salvator, quae haud dubitanter  
 non longe ab urbe Hierosolymâ distabat.  
 Hinc comitante (a) illum Satanâ specie hu-  
 mana induto, se contulit in urbem sanctam,  
 montemque ascendit, in quo situm erat  
 templum. In eo duplicem passus est adver-  
 sarii sui impetum, unum in *περυγιῶ* templi,  
 alterum in *ἐν ὄρει ὑψηλῶ λισσῶ*. Quis horum  
 prius in eum irruerit, non habemus dicere,  
 cum Matthaeus & Lucas heic à se discre-  
 pent, ita ut uter horum temporis ordinem  
 servaverit accuratius, non liceat definire.  
 Quemadmodum autem per *περυγιῶν* templi  
 intelligo eam porticum, inter reliquas ex-  
 stantem quæ in australi templi parte erat,  
 cui tantam altitudinem (*παμμεγέθες ὕψος*) tri-  
 buit Josephus Ant. L. XV. c. 14. ut nemo in  
 ad-

(a) Ita enim vocem *παραλαμβάνειν* apud Aelianum  
 sumi recte ostendit R. Harckenrothius. Similem  
 locum ex Plut. *περὶ ἀοργησίας* produxit G. Olearius  
 in obs. ad Matth. qui de Socrate scribit eum  
*ἐκ παλαιῶν ἐξ παραλαβεῖν τὸν εὐθύδημον, ἐκ πα-  
 λαίστρας secum abduxisse Eutbydemum.*

*adjacentem profundissimam vallem* (ἀμετρητον βυθον) potuerit despiciere, sine caligine & vertigine oculorum, ita per ὄρη ὑψηλον λιαν pariter pars aliqua, aut vertex aliquis montis Sionis, cujus ornamentum erat templum, videtur indicari. Neque legimus post alteram tentationem repulsam Christum se rursus dedisse in viam, & profectum esse in Galilaeam. Quid itaque judicabimus vero magis simile, utrum Christum Satana comite ex urbe Hierosolyma atque templo post primum elusum πειρασμον denuo iter trium dierum, quod ab Urbe ad Thabor faciendum erat, confecisse, ut eum in illo aggredereetur tertium, an vero continenter eopse die, ex uno montis Sionis loco in alium ex περιουχω nempe in quendam (j)us verticem aut colliculum se contulisse, ex quibus in circumjacentes plagas commodissimus erat prospectus?

§. 4. Atque ita (B) magis, ac facilius imminui potest difficultas, quae ex discrepantia, quae Matthaeo cum Luca circa ordinem temporis intercedit, quae quoque a reverendo superioris eruditae dissertationis Auctore indicata est. Si enim eodem fere tempore eodemque in loco factae sunt secunda, tertiaque tentationes, vides non tam necesse fuisse ut accurata series temporis observaretur, quam si altera tentatione profligata, se Dominus trium dierum itineri accinxisset, tertiam ut sustineret.

§. 5. Porro (C) illi monti epitheton  $\tau\alpha$   
 $\delta\acute{\rho}\alpha\varsigma$   $\tau\alpha$   $\upsilon\psi\eta\lambda\alpha$  probe convenit. Ille dubio  
 procul est, qui Ezech. XXVII: 22, 23. voca-  
 tur  $\text{הר-גבה ותלול}$  &  $\text{הר מדום ישראל}$ , *Mons*  
*altitudinis Israelis, & mons excelsus & exaltatus.*  
 $\sigma\iota$   $\delta$  transferunt,  $\delta\epsilon\theta$   $\upsilon\psi\eta\lambda\omicron\nu$   $\kappa\alpha\iota$   $\mu\epsilon\tau\epsilon\omega\rho\omicron\nu$   
 Eo enim nomine in sacris etiam alibi venit;  
 Ezech. XX: 40. dicitur  $\text{הר מרום ישראל}$ ,  
*mons excelsitatis Israelis*, LXX. vertunt,  $\delta\epsilon\theta$   
 $\upsilon\psi\eta\lambda\omicron\nu$ . & cap. XL: 2.  $\text{הרמאר גבה}$ , mons  
 valde excelsus, LXX. reddiderunt,  $\delta\epsilon\theta$   $\gamma\psi\eta$   
 $\lambda\omicron\nu$   $\sigma\phi\omicron\delta\alpha\pi\alpha$ . Hunc autem locum de monte  
 Sionis intelligendum egregie comprobavit C.  
 Vtringa. P. in libro de templo Ezechielis c. 3.  
 Hinc emphasis elucet phraseos Ps. LXXVIII:  
 68, 69. ubi Deus dicitur *sanctuarium suum ex-*  
*struxisse*  $\text{כמו רמים}$ , *tamquam altitudines* sive ex-  
 cella. Talis altitudo ejusdem montis po-  
 nitur in vaticinio Jes. II: 2. & Mich. IV: 1.  
 quando mons *Domus Domini* dicitur fore in ver-  
 tice montium, & *exaltatus super colles*, quod sen-  
 su spirituali de ecclesia dici non potuisset, nisi  
 ejus typo Sioni id sensu proprio convenisset.

§. 6. Porro huc retulerim Ps. XLVIII: 3.  
 ubi mons ille non solum  $\text{הר קדשו}$ , *mons san-*  
*ctitatis ejus*, sed &  $\text{יפה גוף}$  vocatur. Non vi-  
 dentur interpretes hujus vocis  $\text{גוף}$  vim atque  
 significantiam accurate cepisse, unde variis  
 exposita fuit, iisque quandoque satis contor-  
 tis versionibus. Reddiderunt quidam *termi-*  
*num*, alii *regionem*, vel *clima* vel *tractum*, non-  
 nul-

nulli *nymphas*, (alludendo ad similitudinem li-  
 terarum,) vel *sponsum*, inter quos est Chaldaeus  
 paraphraſtes οἱ ἐβδομηκοντα habent ἐυραζων  
 ἀγαθιαματι. Plurimis placuit notio *rami*, vel  
*furculi*; Hinc *Aquila* habet, καλω βλασηματι,  
 Hieronymus *speciosa germine*, Lutherus ein schön  
 Zweiglein. Tigurini. Ein schöner Pflanze.  
 Sed si ad veram radicem vocis animum adver-  
 tissent, planior iis se obtulisset expositio. Illa  
 autem matri filia restituere debet, i. e. repe-  
 tenda est ex lingua Arabica, quod plus millies  
 alibi quoque fieri constat. Apud illos autem  
 ناول notat *eminere*, longum atque elatum esse, ex-  
 crescere. Hinc نيو notat *elatiorem cameli gib-  
 bum* ناول, non solum *camelum* significat lon-  
 gum atque eminentem, sed & *Virum* procerae  
*staturae*. Neque illa significatio prorsus inter  
 Ebraeos desit, id quod lexica affatim docent.  
 Ipse Chaldaeus per ארים, *exaltare*, *sursum effe-  
 re* reddidit. Septuaginta aliquoties vertunt  
 αἰρειν, ἀναφειρειν, ἐπαρειν. Immo reliquae vo-  
 ces, quae ex eodem hoc fonte promanant, al-  
 titudinis significantiam involvunt. Sic, quan-  
 do notat *agitationem*, *ventilationem*, id fit, quod  
 illa fieret *sursum*, *deorsum*. Hinc תנופה di-  
 cta est caerimoniae in sacris species, qua res in  
 sublime attollebatur. Hinc etiam pro qui-  
 busvis oblationibus sacrorum sumitur. Et  
 quia *rami* arborum in altum excrescunt, hinc  
 קנה *ramum*, *germen* indicat. Et, quia in *stilla-  
 tio*.

tionibus atque irrorationibus guttae ex alto cadunt, hinc *stillare, effundere* eadem vox indicat. Unde & pro *imbre* sumitur Ps. LXVIII: 10. Quin parum abest, quin putem hinc Latinorum *nimbus* descendere, dages in m. ut saepissime fit, transmutato. Neque dubito, quin huc Graecorum νεφω & νεφω, *ningo*, sint referenda; Uti & νεφας & νεβα, i. e. *nix*, quae ex alto decidit, & νεφω, & *nubes*, quae in alto super nos conspiciuntur. Etiam in suffimentis nidor sursum se effert & in alto dispergitur, hinc *suffendi* obtinuit significatum. *הו* itaque *altitudo est*, & *הו הו הו הו*, per apte verti potest, *mons speciosus & pulcher AL- TITUDINE*, i. e. *ὕψηλιον*.

§. 7. Hanc autem excelsum montis sancti alii quoque scriptores innuunt. Sic Josephus L. VI. de B. Jud. c. 6. scribit Hierosoly- mam *impositam fuisse duobus collibus, quorum unus in superiori urbis parte, ubi templum erat, dicitur ὑψηλοτέρω τῷ πλάω, multum eminentior.* Tacitus L. V. histor. c. II. illi consonat. *Duos colles IMMENSUM EDITOS, (i. e. ὑψηλῶς λίαν) claudebant muri per artem obliqui, aut introrsus sinuati; Extrema rupis abrupta, & quae sequuntur.*

§. 8. Notandum (D) praeterea, ipsum hujus montis verticem valde fuisse aptum, ad circumferendum longe, lateque oculos, & ostendendum *πῶς τις βασιλείας τε κτισμῶν, καὶ τὴν δόξαν αὐτῆς*; Urbs enim ipsa Hierosolyma

altissimo sita loco erat. Unde phrasis Judaeis  
 usitata, neque in sacris paginis ignota, qua  
 Hierosolymam adeuntes, dicebantur ad eam  
*ascendere*, quemadmodum ex illa abeuntes  
 dicebantur *descendere*. κατὰ βῆμα, ut ille apud  
 Lucam X: 30. qui Hierichuntem proficisceba-  
 tur. Tacitus vocat urbem arduam situ, loco  
 citato. J. Cotovicus in itinerario describit urbem  
 in montibus altissimis positam, loco caeteris eminen-  
 tiori, & tanquam regiam inter omnes accolae, &  
 veluti caput eminere in corpore. Vulgaris sane  
 traditio erat inter Judaeos, omnium terrae  
 regionum altissimam Palaestinam esse, & in illa  
 Hierosolymam; Audiamus Kimchium, ad  
 Ez. XL: 2. וְגַם בְּעֵצְמוֹ הוּא גְבוּרָה לְפִי  
 מְקוֹמוֹ כִּי אֶרֶץ יִשְׂרָאֵל גְבוּרָה מְכַל אֶרְצוֹת  
 וִירוּשָׁלַם גְבוּרָה מְכַל אֶרֶץ יִשְׂרָאֵל. Etiam  
 (mons sanctuarii) in se ipso altus ratione loci.  
 Sicut terra Israelitica alta praee omnibus terris,  
 & Jerusalem alta praee omni terra Israelis.  
 Hoc idem est, quod in epistolis Paulae & Eu-  
 stochii ad Marcellam p. 548. legitur. Quanto  
 Judaea coeteris provinciis, tanto haec urbs cuncta  
 sublimior est Judaea. In urbe diversi colles  
 eminebant; Inter colles illos tantum caput  
 suum efferebat apex montis, cui impositum  
 erat templum, quantum lenta solent inter viburnae  
 cupressi. Ex illis in circumstitas regiones pro-  
 spiciebatur, longe lateque. Ita Christopho-  
 rus Fürer von Haimensdorff in itinerario suo  
 edito Noribergae, 1646. situm Hiero-  
 so-

Solymae describit, esse *EUM* valde altum, ut in montes circumfusus late pateat aspectus, ita ut ad Orientem se oculis ingerant mare mortuum, montana Seir, ad austrum deserta Arabiae, ad septentrionem montes Ephraimi. Et talia in terrae sanctae descriptionibus testimonia passim occurrunt, quae utpote in re nota cumulare, supervacaneum ipto.

§. 9. Factum inde est, ut ille speculae locum obtinuerit. Huc referunt locum Jer. IV: 6. ubi dicitur *elevate signum in Zion*, quod intelligunt de specula, in illo erecta, unde e longinquo adventantes hostes prospicere integrum erat. Immo inde à prospiciendo nomen datum monti putant. Ita ad radicem *צין*, speculatus est, unde *מצונין*, speculatores dicti, nomen illud refert Schindlerus. Certe Hieronymus Zion in locis Ebraeis saepe vertit *speculam*, & in commentario ad Jeremiae locum interpretatur *speculam vitae*. Huc respicit Adrichomius, quando in descriptione terrae sanctae p. m. 149. Sionem describit montem coeteris montibus excelsiorem ac veluti *SPECULAM* in eminenti, solida ac praerupta undique rupe divinitus fundatum. Et hinc ipsi Moriae monti videtur nomen inditum, dicto *מוריה*, a *ראה* videre, quod & è longinquo videri potuit, & ex eo in longe distita loca oculorum penetraret acies. Saltem Abrahamus illum è longinquo vidisse legitur Gen. XXII: 4. Ob quã causã recte mihi videtur transtulisse Sym-

machus τὴν γῆν ὀπτουσίας & Aquila, τὴν κατὰ  
 Φανη. i. e. ut LXX. habent, τὴν γῆν τὴν ὙΠΗ-  
 ΛΗΝ. Quae cum ita sint, & Palaestina altissi-  
 ma haberetur terrae regio, & in illa Hierosoly-  
 ma posita esset loco prae aliis excelso, & inter  
 hujus urbis montis emereret Sion, ut ex ejus  
 vertice jam a vetustis temporibus, tamquam  
 e specula, latissime circumferri potuerint  
 oculi, quis non videt illi perbelle convenire,  
 quae apud Evangelistam vs. 8. referantur.

§. 10. Quamquam autem nemo facile in eas  
 devenerit cogitationes, fieri potuisse, ut  
 OMNES mundi regiones ex hoc monte vi-  
 derentur, cum velex altissimo quoque id per  
 reinaturam fieri nequeat, nullus tamen un-  
 quam etiam alius ostendetur, per totum, qua  
 patet, terrarum orbem, in quo id fieri po-  
 tuisse multo facilius, commodiusque statuas.  
 Sive enim haec omnia, quod tamen nollem,  
 per visionem, vel in somnio repraesentata  
 Servatori dicas, sive cum Grotio effictas re-  
 rum imagines, quas εἰδολα Graeci vocant, &  
 φαινόμενα ἐπὶ τῷ αἵθερι φαντασματικῶς exponunt,  
 velis admittere, sive cum Origine ad frigi-  
 dam ἀδηγησίαν dilabare, & regnum Diaboli,  
 quod exercet in mundo, vel regnum h. e.  
 homines in quibus per varia vitia regnat, in-  
 telligas sive per usitatam sacris literis ὑπερβο-  
 λην de nonnullis regionibus explices, sive de  
 Palaestina, ejusque maxima parte intelligen-  
 dum

dum velis; sive illud *deixvven*, ita malis explicare, ut non solum notet, *digito* aliquid monstrare, sed & *oratione* aliquid ostendere, *mentique* repraesentare, quod utrumque meo quidem iudicio hic coniungendum putem, tantundem est. Patet enim nihil horum omnium esse, quod non aequè apte monti Sionis, quam cuivis alii applicari facili negotio possit.

§. II. Accedit, quod (E) si certioribus magis argumentis haec opinio nostra adstrui posset, non desint, ex quibus pateret, non sine causis Hierosolymam, ejusque illustriorem montem conflictui Christi cum Satana destinatum fuisse. In illo enim loco se Dominum Satanae gerere voluit, ad quem, tanquam ejus Dominum venturum praedixerant divina oracula. In illo loco voluit a Satana invadi primum, ac in certamen provocari, in quo deinceps cum eo in passionibus congressurus, eumque prostratum debellaturus erat. In eo loco spiritum malignum sub auspiciis muneris sui apparere, ac se adorandum offerre legimus *Domino*, in quo hic sub visibili symbolo spectatus, cultus, adoratus adhuc fuerat, & in quo postquam omnibus muneris sui partibus egregie defunctus esset, Spiritum sanctum sub imagine linguarum ignitarum conspicuum, qui gentes ad se colendum adorandumque impelleret, emit-

tere voluit. In Sione denique monte valde sublimi, aggreditur tenebrarum Princeps τῶν ἀρχηγῶν σωτηρίας ἡμῶν, ex quo, quando Dei domus altior facta erat omnibus montibus & excelsior omnibus collibus, proditura erat lex verbumq; Domini, inde ut per omnes gentes propagaretur quo olim πᾶσαι αἰ βασιλείαι τῆ γῆς με cū omni gloria sua fierent Dei, & Christi ej<sup>o</sup>.

§. 12. Ad extremum (F) id doctissimis Viris, qui vel de Tabore aut Libano, aliove longius ab Hierosolyma distante monte cogitarunt, perpendendum offero, anne iter illud, quod post tentationem Sospitator in Galilaeam fecit, comite adhuc Diabolo fecisse, credibile sit. Matthaeus non dicit Christum statim, postquam secundam tentationem ἐν τῷ περὶ τῶν ἱεροῦ templi excepisset, se ad iter in Galilaeam accinxisse, in quo itinere tertiam à Diabolo iterum coitionem subiret, sed postquam tertius, isque ultimus Cacodaemonis conatus repressus, atq; hic ab illo derelictus erat, tum angelos ministratum illi accessisse, & his omnibus factis, postquam audivisset Johannem traditum esse in vincula, tum demum in Galilaeam concessisse. Vide Matth. IV: 10, 11, 12. & Marc. I: 14. Lucas ita rem refert c. IV: 13, 14. συντελεσας παντα πειρασμον ὁ Διαβολῆς, ἀπέστη ἀπ' αὐτῆ ἀχρῆ καιρῶ; & deinde ὑπερῆψεν ὁ Ἰησοῦς εἰς τὴν Γαλιλαίαν. Ex quibus omnibus patet non solum continua serie istas se excepisse tentationes, sed & Christum in Galilaeam non prius profectum, quam

quam postquam tribus illis certaminibus, defunctus erat feliciter. Eo die autem, quo Christus tentatus est, videtur illa Phariseorum ad Johannem legatio expedita, quae describitur Joh. I: 19-28. Altero die Christus ad Johannem in visebat Bethabarae trans Jordanem baptizantem. Illa autem, quae apud Johannem inde a commate 29. cap. I. ad caput IV. enarrantur, gesta sunt illo tempore, quod post tentationes sustentatas ad adventum Christi in Galilaeam effluxit. Sed haec digito tantum tangimus. Puto tamen post illorum omnium considerationem haud facile cuiquam visum iri verosimile, Christo adhuc triduo post discessum ex Hierosolyma Diabolum adhaesisse comitem, & tum demum tentationem tertiam subiisse.

§. 13. Quemadmodum autem in his similibusque incolumi licet dissentire amicitia, ita nunc coronidis loco adducam nonnullos, qui hanc tentationis Christi historiam uberius illustrarunt praeter commentationum in Evangelia eorumque harmonias scriptores, ex quorum lectione, quid de hac re sentiendum sit, cognosci possit plenius. Vide itaque G. MOMMAE Oecon. L. III. c. 5. §. 26--59. Fr. SPANHEMII P. Dub. Evang. p. III. c. 50-69. & imprimis S. BOCHARTI epistolas ad N. Hérault, in app. ad Geogr. S. p. 941-983. Balth. Bekkerum in mundo fascinato L. II. c. 20. eique oppositum J. v. D. Waeyen librum §.

1315--1346. G. OLEARII in Obs. ad Matth.  
 c. 11, 12, 13, 14. H. van der HARDT in Ephem.  
 Philol. diff. I. &, qui ejus sententiam excussit  
 Casp. CALVOERIUM in gloria Mosis c. 8.  
 Sal. DEYLINGIUM, in elegantissimis Ob-  
 serv. L. II. c. 17. Joh. MARCKIUM, Theolo-  
 gum Lugdunensem in Exerc. Bibl. XXVIII.  
 integrasque dissertationes Andr. Godofr.  
 AMMONII, J. Jac. HOTTINGERI, qua-  
 rum illius Gryphiswaldiae 167c. & Helmaest.  
 1676. hujus tres Tiguria. 1709. & 1714. edi-  
 tae sunt. Praeterea exstat liber integer Danielis  
 ARENTS, V. D. M. Zuyderwoudensis, quem  
 inscripsit מסות המשיח, sive Comm. novum in hi-  
 storiam tentationis CHRISTI a Diabolo illatae  
 in locum Matth. IV: 1-12. impressus,  
 Amst. 1691. 8.

*Huldrici ZVINGLII*  
*binæ ad J. Oecolampadium*

Epistolæ (a) ineditæ.

A.

A R G U M E N T U M.

Conqueritur de Job. Fabro, & Zasio contra se scribentibus. Nihil se eos curare innocentie sue conscientia fretum testatur.

**S**. Debeo equidem sæpius ad te dare literas fateor, piissime Jo. quo crebrius te ad scribendum excitem, id quod nobis etiam in *Smeia* constitutis animum levaret. Sed non permittunt, quod volumus & cupimus, negocia. Vicarium Constan. (b) Jo. *τεκτονα*, imo *ψευδοτεκτονα* perhibent amarissime in nos invexisse, partem autem etiam nunc Argentorati excu-  
 N n n 5 di.

(a) Has ex *ἀντιγραφῶ*, quod Cl. *Isingii* est, descripsi.

(b) Innuit Johannem FABRUM, Constantiensis episcopi suffraganeum, deinde Viennensem episcopum, acrem religionis evangelicæ adversarium, qui a. 1541. æt. 63. obiit. T. d. H.

ti. Zafium (c) praeterea ejusdem calcari-  
 bus exstimulatum nescio quos posthumos par-  
 turire. Verum si belligerandum erit, non  
 hercle optem alios hostes, quorum alter ex  
 dolis ita confusus est, adeoque patentibus, ut  
 τὴν ῥαφὴν lusciosus etiam videat, alter nihil  
 aliud praestabit, quam, quod Darii exercitus,  
 qui, quod & pretiosissimus esset & venustissi-  
 mus, nihil praclarū habuit, quam quod primū  
 eum Alexandri exercitus, neglectus certe, si  
 pigmenta spectas, mundumque muliebrem,  
 aspexit, in praedam conversus est. Prode-  
 ant volo, palamque arma capiant, provo-  
 cent, ac videant, quam probe Christus nos  
 defendat. Audio nihilominus ἄπο Τεκτον  
 calumniis & contumeliis nos obrui, ultimis  
 nimirum refugiis istorum, sed nec ista vere-  
 mur plane nobis conscii, quam innocentem  
 semper vitam duxerimus. Fingant per me  
 licet, isti Herostrati mendaciorum plau-  
 stra aliorumque flagitia & in nos jaceant, nihil  
 tamen unquam egit Zvinglius, cujus ratio-  
 nem reddens non possit apud quemcunque  
 etiam iniquissimum Judicem absolvi. Deo gra-  
 tia, quod huc ventum est, ut calumniis falso  
 etiam

(c) Intelligit celebrem illum in Academia Friburgensi  
 juris doctorem Udalricum ZASIUM qui a. 1535.  
 aet. 74. vitam posuit. Non tamen puto hos postu-  
 mos contra Zvinglium edidisse, exstant quidem ejus  
 libri postumi, sed illi tractant, non res Theologi-  
 cas, sed ad juris disciplinam pertinentes. T. d. H.

etiam confictis partes suas tueantur. Novarum præterea rerum nihil est, quod te scire referat. Commendo me Christo & tibi. Servet te Deus. Salvos jube Cratandrum, (d) Nepotem, omnes quotquot Christo favent. Ex Tiguro 19. Aprilis MDXXIII.

Huldr. Zvinglius Tuus.

Inscriptio in dorso.

Jo. Oecolampadio Viri & piissimo & doctissimo. Fr. in Christo dilecto

gen Basel.

B.

Argumentum.

*De turbis Catiliniis, quæ Tiguri fuerunt, narratio. Grebelius capite plectitur. Apologia contra Struthionem. Plutarchi editio nova curanda. Encomium Plutarchi.*

Gratiam & pacem a Domino. Quid, carissimi fratres, pater filio suo Judoco per epistolam significaverit, equidem ignoro, at hoc scio, quidquid tandem scripserit vobis non magnopere curandum esse, trahit enim hominem adfectus fratris, quem, ut nostrorum vitia postremi discimus, bonum aut saltem æquabilem virum esse putat, cum sit Catiliniarii

(d) Andream Cratandrum, typographum Basileensem, cui præclaras auctorum editiones debemus, intelligit.

narii gregis perditissimus. Sic autem ἀφ' ἑσας res habet. Habuerant comitia ἐν (a) θερμοπυλαίς, quibus convenerat, ut senatum populumque Tigurinum denuo hortarentur, ut vel unam missulam admitterent. Id ubi Bernam nunciatum est, per eum, qui legatione functus fuerat, quidam candidus ac fidelis urbis, noster amicus, sic occurrit, quid frustra sumitis operam? Nonne videtis in diem minus ac minus profici apud Tigurinos? nec immerito. Dicitur enim non modo apud istos, sed passim ac vulgo missam esse missam faciendam. Tum, qui legatus fuerat, non fuisset, inquit, istud temere a nobis decretum, si non essent Tiguri, qui precibus quamvis tacitis, nos expugnassent. Hanc vocem amicus indicavit. Quid ergo nobis oscitandum erat? Omnia ergo circumspicientibus, videbatur hulus istud pensionariorum, potius proditorum, ac praevaricatorum, aliquantum exulcerandum esse maxime cum omnes liquido viderent, cuncta in comitiis μισοδοσία corrumpi consilia, neque hoc solum, sed etiam eadem ratione conducti μισοφορῆς, ut Evangelio resistent, quomodo principibus contra patriæ salutem adsistant. Adparebat etiam istud. Gregem Catilinarium perpetuo concurrere ac gratulari, si quid

(a) Intelligit Badam, thermis juxta ac conciliis Procerum Helvetiæ, ut & nupera pace celebrem urbem.

quid aduersi passa esset ecclesia eosque omnes, qui in suspitione essent alienae pecuniae, pertinacissime stare contra Evangelium. Quid multa? Adparebat eos omnia facere, quae solent corrupti homines, qui lectione vobis non possunt esse ignoti, qui Salustios ac Cicerones olim perlegistis, nobis vero non possunt non esse notissimi, qui experimur vivam prodicionem. In hoc ergo statu cum res essent, & homines isti ad omnem occasionem se magis esse metuendos quam hostes ipsos factis, dictisque omnibus probarent, fateor, constantissime invexi in prodicionis flagitium. Ipsumque sic admotis omnibus arietibus concussi, ut conscia pars aperte videret murum concidisse, quamvis alii, quod metus erat, iram ac indignationem simularent, alii tamen, quod res erat, aegre dissimularent. Excidit per eas orationes, non imprudenti, sed volenti, haec similitudo. Cardueles semine canapi vivere, at non nisi trito, si & hos patriae proditores ac mistophoros non possent testimoniis (ad quã isti anchoram confugiunt) convinci, quis enim tam stultus sit, ac sui negligens, ut in tanto crimine arbitros admittat? Tormentis ergo, quæ per canapi funes, qui & ipsi torti ac veluti semen triti sunt, apud nos irrogantur, inquirendum proditorem, sed neminem esse tormentis tentandum, nisi de quo aliqua extarent indicia. Dixi quiddam me quoque in hac

re scire, hoc autem non vanus feci, re-  
 p̄ta enim erant literæ quædam, quas omnes  
 putabant me ignorare, super quibus opti-  
 mi que diligenter consultabant ac clanculum,  
 sed & aliunde pluribus tum viis tum modis  
 multa didiceram. Constituitur ergo dicta-  
 tura ad præsens malum, non Romanorum  
 more, ut unus aliquis summæ totius rei præ-  
 esset, sed Optimates Viri undecim, quibus  
 inquirendi ac disponendi provincia deman-  
 datur. Inquiritur, inveniuntur multa tum  
 levia, tum ardua, sic tamen ut qui aliquan-  
 do edixissent, quorum erant conscii, iasti-  
 tationem meditarentur, sic enim solet vul-  
 gus, ac tepidum illud hominum genus, quod  
 etiam ad iudicis machæram pallefeit. Ibi  
 Grebelius, pater Cunhardi Grebelii, qui fuit  
 catabaptistarum coryphæus, capite plexus  
 est, Vir nobilis ac summæ apud nos auctori-  
 tatis, quod à Cæsare; Gallo; Pontifice Ro-  
 plus mille quingentos florenos filii prætextu  
 accepisset. Adde (quod ipse non olim arbi-  
 tratus sum) quod Cunhardi filii ejus uxor  
 marito ante menses aliquot mortuo apud so-  
 cerum hæreditatem petivisset, quæ ex trien-  
 te uxoribus apud nos evenit, repulsa est à so-  
 cero hac responsione, quod filius nihil pecu-  
 lli habuisset. Ac postmodum inventi sunt  
 quadringenti adhuc aurei, quos ille nomine  
 filii in suum receperat marsupium. Fugiant  
 Gre-

Grebelio interfecto quidam alii, portis ne-  
 quicquam ferratis, nam patruus Judoci in  
 plaustro stercore omisso euectus est, sic scili-  
 cet in stercore salutem invenire debent, qui  
 ventris stercorisque causa patriam produnt.  
 Laborant nunc pro reditu isti, innocentiam  
 prætexentes, quod Grebelius major fuit,  
 quam ut conscium se negotiorum istorum  
 hominum faceret, quamvis hac parte im-  
 prudens fuit, quod ipsi ejus negotiorum con-  
 scii fuerant. Est & alius quidam, nomen est  
 N.N. tortus, homo mancus, cui brachium si-  
 nistrum, quod dextero brevius esset, mox  
 inter initia dissiluit, flagitioso homini ac au-  
 dacissimo; Hanc remoram iniecit dominus  
 flagitii cumulo. Viget adhuc dictatura &  
 inquisitio. Nos inter hæc omnia ad con-  
 stantiam non minus adhortati sumus, ut ma-  
 lum tollatur, quam exempla protulerimus,  
 quibus hoc hominum genus imperitis fieret  
 cognitum, *καὶ ταῦτα μὲν ταῦτα.* Contra Stru-  
 thionem apologiam excudet chalcographus  
 ante natalitium ~~diem~~ Domini. Expostula-  
 tionem latinam ad Lutherum nondum orsi  
 sumus, dabimus tamen, si Dominus velit ad  
 nundinas francfordanas. Plutarchi vitas ar-  
 bitror utiliter legi posse, at exemplar Al-  
 dinum, cum sit nimis carum, præstaret ut  
 Cratander in duos tomos scinderet ac ad di-  
 ctas nundinas priorem daret, posteriorem  
 ad

ad autumnales. Si ergo Argentinenses, Ba-  
 filienfes, Norimbergenses nostrum confilium  
 approbarent, fieret, ut centenarium unum  
 aut alterum certo fe venditurum fcienf ocuf  
 ad hanc operam fe accingeret. Mihi certe  
 omnes auctores contemplanti, unus ifte vi-  
 detur non tam ob ftilum, quam ob argu-  
 mentum honeftiffimum graeculis noftris ma-  
 nibus terendus. Valete fratres cariffimi, ac  
 Dominum pro nobis orate. Penultima No-  
 vembris ad lucernam M. D. XXVI.

Inſcriptio.

Oecolampadio ac fratribus Argentinenfi-  
 bus maxime Capitoni.

IX.

*Urbani REGII,*  
Epistolarum ineditarum  
(a) triga.

A.

Eximio Viro D. *Wolfgang-  
go RICHARDO*, utriusque Medici-  
nae Doctori, amico unico Ul-  
mae *Urbanus Regius*

**C**um tecum eram Ulmae, *Wolfgang-  
e* charissime, a vidua Augustana me  
reversurum ad aromatarium polli-  
cebar: verum colloquio longius,  
quam putabam in serum protracto,  
factum est, ut frustra te quaesierim. Literas  
vero tuas sinceri amoris testes in caupona ac-  
cepi. Casum hunc boni consules. Hodie  
cum ab Argona Tetanum venio: depromit li-  
teras tuas *Johannes Pfrund*, calcem ostendit,  
ubi praeter honorificam mei mentionem pro-  
pensum Augustanorum in me animum indi-  
-  
Class. VI. Fasc. V. Ooo gas,

(a) Priores duas debeo humanitati viri Cl. J. G.  
SCHELHORNII, tertiam J. Jacobi Hottingeri, F.  
omnes autem ex autographo descriptae sunt.

cas, atque sacerdotum papisticorum malefe-  
 riatas mentes. Veri amoris haudquaquam  
 fallax est argumentum, laudibus amici per-  
 inde ac propriis delectari. Atqui tu qualem  
 agis triumphum, ut me sic Augustanorum  
 animis infixum intellexisti, quam excors &  
 cæcus sim, nisi hunc animi tui candorem  
 agnoscam, extollam & perpetuo prædicem.  
 Quid autem Augustensibus pro inaudita hac  
 in me benevolentia rependam? Nihil un-  
 quam vidi candidius, civilius, atque amabi-  
 lius Augusta. Audio sacerdotes illos ole-  
 aginos vibrare in me linguam virulentam  
 discessusque mei causam in nescio quæ scelera  
 referre: Mulieribus ajunt me fuisse chario-  
 rem quam pro re: Sic mendax hominum ge-  
 nus effingit impudentissime, quibus causam  
 suam tueatur utcumque: nihil non tentant,  
 quo me apud cives quoque in odium addu-  
 cant. En quam ingeniosa est invidia, sed  
 rursus quam justa, ut quæ in sese propriis  
 dentibus desæviat! Prudentiores meliores-  
 que sunt Augustani mei, quam ut Sirenum illa-  
 rum incantamentis capi se & decipi patian-  
 tur. O eximiam gratitudinem indoctissi-  
 morum hominum! Poteram, si affectibus  
 remissem frena, mea valedictione totam ur-  
 bem in Sacerdotes concitare, alioqui plus sa-  
 tis pronam in eanes illos, nisi Christiana pro-  
 hibuisset modestia, quatum suppresso animi  
 dolore justissimo causas abitus mei in meum

ipius

ipsius caput conjeci. Augustanis si meum ministerium placuerit, non denegavero operam meam: his, ubi commoditas finet, me commendato. Porro si scire cupis, ubi sim, quid rerum agam? In scyro Aeronii cum multis Magistris mussito: nonnunquam ad me pagani sacerdotes confluunt, quibus omnia verba mea *ἠεδοξα* videntur: Papæ enim erroribus imbuti, & cauterio notatas conscientias circumferentes nihil suspiciunt nisi papisticum. Quod si liberius aliquando Christianam prodo libertatem: justoque stomacho in abominationem Romæ debacchor: obstupescunt illi protinus ad hæc nova, & in Epicuri intermundiis esse se imaginantur. Hæc habent fidei suæ principia. Contra papam ne hiscere quidem licere, ut qui sit *ἀναμαρτυρῶ*. Conciliorum decreta omnia haud secus ac fidei articulos esse habenda. Pontificum decretales sacrosanctas esse. Pontifici jus esse uni, sacras literas pro suo nutu ac renutu figere ac refigere. Fidei quæstiones ad unum Rom. Pontificem esse referendas. Ecclesiam Dei absque Papæ constitutionibus solis Bibliis regi non posse. Ecclesiam non errare aut Concilia. Qui verbo aut facto qualicumque concilio obluetetur, hæreticum esse. Proinde Lutheranos jam esse hæreticos & extra ecclesiam. Quid multa? Quid posset Christiana libertas in tot errorum caligine opletis animis? Ex horum principii facile di-

gnosces quid sit confectarium: humanarum  
 traditionum opinio sola pseudochristianos il-  
 los occoecat Babilonica captivitasque manci-  
 pia circumvehit: quibus si Christi evangeli-  
 um præendas, furdo fabulam narraveris, as-  
 ino citharam pulsaveris. Rideo igitur inter-  
 dum deploratos Antichristi servos: misereor  
 item tam perditæ cæcitatibus: atque intolerabi-  
 lis indignitas efficit, ut semotus ab homini-  
 bus pene in solitudine vivam mihi & musis.  
 Martini lucubrationes omnes denuo pellego:  
 & in Bibliis otium & negotium omne repono.  
 Crede veritati, Wolfgange optime, nisi sa-  
 cræ lectionis deliciae animum recrearent fo-  
 verentque, tædio commarcescerem. Nosti,  
 quam sit molestum, studiorum socio carere.  
 Careo autem eo solatio ægerrime: nemo est,  
 quicum animi cogitationes studiique fructum  
 communicare liceat. De lignonibus & aratris,  
 de poculis & puellis confabulantur fratres mei:  
 si quando de literis mentio fit, in alio mundo  
 sibi esse videntur. Verum probe mihi hac  
 via consului. Postquam enim me affectibus  
 suis inutilem experti sunt, a consuetudine Ur-  
 bani abhorrent, me solum in otio meo litera-  
 rio relinquunt, quo uno nihil animo meo ob-  
 tigerit jucundius mellitiusque. Non facile  
 assuescunt loris vetasti canes: proinde eos re-  
 linquo ut videntes non videant, intelligen-  
 tes, non intelligant, pro Esaia vaticinio.  
 Convenerunt nuper salutandi gratia ad me

complures ex locis finitimis decani, camera-  
rii, ac nescio quæ larvæ; tum inter biben-  
dum, ut fit, largior fuit sermo, & probe po-  
ti de maximis rebus disputant audentius. Qui-  
dam non plane analphabetus præfatus veniam  
de quibusdam Lutheri articulis quæsiturum se  
ait, ne in re tanta cæcutiret. Equidem pro  
mea facilitate promisi operam omnem: hoc  
unum admonens, ne parum amice de hoc  
Theologorum Monarcha quicquam dice-  
rent: me ad absurda non taciturum: eo loci  
jam esse Martinum, ut extra omnem ingenio-  
rum aleam positus sit, nec intelligi a medio-  
criter doctis nec judicari possit. Ille accepit:  
ego arrectis auribus ausculto, illud interim co-  
gitans:

*Parturiunt montes; nascetur ridiculus mus:*

Neque me fefellit omen: superciliose enim  
præfabatur: absurdum atque inconueniens  
videri, ecclesiæ constitutiones ad hunc mo-  
dum rejicere: ecclesiæ non credere: videre  
indulgentias, rem tam bonam: sanctissimum  
papam despicerere: conciliis errorem impin-  
gere: Sacramentorum ordinem ab ecclesia fa-  
ctum dissipare: & in hunc modum tragica  
multa. Inprimis male habuit hominem sen-  
tentia Martini de missa, quæ non sit sacrifici-  
um: conquestus, quod sic missæ applicari  
cæteris nequeant: Canonem fecit afferri, ubi  
de sacrificio pleraque inculcantur. Vidisses  
homuncionem gloriosulum abuti patientia

O o o 3                      mea

mea. Breviter cum totum fel biliosus sacrificulus evomisset, ac jam tota hominum corona penderet ab ore viri, expectaretque meam dilutionem; præ rei indignitate risi, intelligens morbum hominis avari: rogatusque sententiam, ajo, ex hypothesi esse disputandum, ac res illas primo definitione elucidandas esse: deinde simplici notione habitæ substantiæ ad reliquas compositas notiones, gradum scite fieri, quod & philosophi soleant, & in primo officiorum præstaret Cicero. Proinde cum negotium omne in hoc uno mihi consistere videretur: ut planum fieret, quidnâ esset ecclesia: quid indulgentia: quid sacramentum: idque non ex qualibuscunq; hominum lacunis, sed ex limpidissimo fonte sacrarum literarum: propositis his haud magno deinceps negotio explanari hæc omnia posse. Quid tandem? Nemo assidentium dicere potuit, quid sit ecclesia, quid indulgentia, quid sacramentum, saltem ex usu Scripturæ: addidi subridens, frustra me apud eos dicturum de rebus tam gravibus, qui simplicem rei notionem nondum attigissent: mihi que plusquam coecum & absurdum videri, tantam excitare tragœdiam, ubi de ipso rerum apice aut cortice etiam nihil intelligeretur: objurgans eos, quod jactantius quam pro modestia Christiana & doctum hominem damnarent, & ejus scripta exploderent, in quibus tamen nihil intelligerent: addidi, nisi me charitas Chri-

Christiana doceret aliud, tractarem vos idiotas, ut digni estis. Hæcine sunt vestra iudicia tam magna? Hæcine est Christiani hominis modestia: primo in Christianissimum, dein in scripta eruditissima & piissima dilatrare tam intemperanter? Sic clamant odiosissime, qui rem minime intelligunt. Quo epiphonemate clausum est hoc genus dicendi? Cum nulla alia re vincere possent, ad convitia prolabuntur: hic vellet, si posset, obtruncare Martinum: ille excoriare: qua re multos spiculatores & sicarios habet Martinus, paucos, qui ex his virum audire vel possint vel velint. Siquid est novorum librorum Ulma, fac sciam. Vale decus meum, meosque Augustanos ex me saluta. Ex arcæ Ternang, undecima Januarii. Anno 1522.

B.

Eximio viro D. *Wolfgango*  
*RYCHARDO* Medico, suo in  
 Christo Fratri, Christum  
 propitium!

**S**cio pro Christianissimo tuo in me amore, quam cupias aliquam noscere rerum mearum rationem. Proinde cum in tabellariam Tetani forte fortuna incidere, protinus arrepto ca-

lamo amici sum officio functus. Inter me & Pseudoepiscopum Brixiensem vehemens est disceptatio propter verbum Dei: ipse minis & blanditiis compellere hoc anno me voluit ad deuterofes evangelio miscendas. Ego restiti. Tum homo, aulica varicie monstrabilis, principis animum sycophantis a me alienavit: quo factum, ut hac æstate transacta minime tutus fuerim Hallæ: Augustam igitur profectus sum, donec deferbuerit principis inclementia. Jam cum Hallam redeo, episcopus insidias fruit, nihil non tentans, quo Urbanum Halla abigat, fretus autoritate principis, qui episcoporum instinctu evangelistas tantum non devorat. Consensu itaque Hallanæ Reipublicæ in patriam veni Tetani & Argonæ moraturus, donec Hallani feliciter Norimbergæ causam meam peregerint: nam agunt jam per Fabrum strenue: tum revocabor Hallam: ubi etiamnum mater mea rem domesticam mihi tuetur: sin episcopus cum rege facierum vicerit, Augustam revertar, ubi parata conditio est, non qualis est rasorum, sed libera, ne pseudoepiscopus vel tantillum mihi sit timendus. Habes rerum mearum conditionem. Tu vero perge eo, quo cepisti, pede, & Christum constanter confitere, vere cœlestibus sacrarum literarum deliciis & armis animum contra peccati, mortis, infernique metum communito, & videbis magnalia Dei. Vivit enim Christus, & lætum

tum suis militibus triumphum apparat; Anti-  
 christo vero cum omnibus squamis suis occa-  
 sum miserabilem & horrendum. Nutat jam  
 regnum principis fenebrarum: & Deus pacis  
 brevi Satanam sub pedes nostros conteret.  
 Audio Ulmenses verbum Dei tum prædicare,  
 tum audire cum fiducia: Deus omnis conso-  
 lationis corda eorum confirmet in bono per-  
 severantiæ. AMHV. Vale ex Tetano, die Tho-  
 mæ nescio cuius. Anno 1523.

C.

*Urbanus* REGIUS,

S. pl.

*Ambrosio* BLAURERO.

Constantiam.

**U**Triusque nostrum amantissimus E-  
 chinger me ipso die Thomæ conve-  
 nit, colloquendi gratiâ, ut fit, de  
 rebus variis, inprimis tamen de  
 Religione, qui est hominis erga  
 Christianismum Zelus, ordine itaque expo-  
 suit, quid Memmingiæ inter Verbi Ministros  
 tuo intercessu transactum sit. Laudo cona-  
 tum, imo effectum, ubique gratulor ex  
 animo pacem eam, quam tuâ modestiâ fe-  
 cisti, utinam simili pacis studio se hîc Satanæ

machinationibus opponeret. Averte-  
 bam ipse ante sesquiamum populum ab his  
 nocentissimis verborum pugnis, quibus jam  
 quadriennium perpetuum Coena Domini  
 mirè impetita est, & ad ea cohortabar, quæ  
 pacis sunt & ædificationis, ne in Cæremoni-  
 a tractanda, controvertendaque occupati,  
 omni Cœnæ fructu altercando nimium fru-  
 straremur; At surdo fabulam narraui, adeo  
 hoc pacis studium interturbabant quidam  
 pseudo fratres, & nosti forsitan urbis nostræ  
 ingenium, nulla certè Babylon confusior est.  
 Soleo etiam de Cœna sic loqui publicè & pri-  
 vatim, ut Synaxeos vim & fructum perdi-  
 scant simplices, citra jacturam Evangelicæ ve-  
 ritatis, omittant autem contentiones inuti-  
 les, etsi ipse non sentiam cum Zuinglio, huc  
 pertrahere conabar fratres meos ante aliquot  
 menses; Sed vana erat omnis persuasio.  
 Quidam enim hanc ~~sententiam~~ hic interpreta-  
 bantur, quasi leve ducerem, sicubi verbum  
 Dei negaretur, cum meo judicio consuli  
 possit his rebus, si in summa Justificationis  
 Ministri verbi convenirent, & ad Christi  
 gloriam omnia referrent, fidei charitatisque  
 scopum præfigentes, etiamsi in quibusdam  
 scripturæ locis enarrandis dissentirent. Quum  
 hæc dissidia citra Ecclesia schisma in præcis  
 Ecclesiæ patribus fuisse sciamus. Sacerdo-  
 tum potentia & numerus, Monachorum fa-  
 ctio,

Etio, & quæ his favent, hætenus nec in hac re, nec in Eucharistiæ negotio quicquam tentare passi sunt, quod ad concordiam faceret. Quæris, cur ita? In promptu causa est: nondum serio negotium pietatis adgressi sunt, quorum officium erat suam auctoritatem interponere, nam tantum abest, ut Papisticum Endelechismum nostri abrogari patiantur, ut nuper quidam graviter caverit, ne vel filum mutetur in vestibus illis pene Aharonicis, nullus plane fervor Spiritus nos agit, tepescimus imo marcescimus, quilibet assidui in Concionibus, ut si quæras, cur stertitis Augustæ? Non habetur aliud quod dicam? Nos qui verbo docendo præsumus, contemnimur, quid igitur mirum si plebs, male composita, ad omnia pietatis officia langueat? Optarim igitur, te nobis quoque adesse, sicut non sine fructu Memmingensi Ecclesiæ adfuisti. Etsi fieri posset, nihil non tentarem, quo tu quamprimum ad nos adducereris, forsitan fratres qui meum consilium despexerunt, Christo cooperante plaris facerent tuam persuasionem. Ego totus in hoc sum, ut pacifice regamus Ecclesiam Christi, ut nihil hoc tempore gratius audiverim Memmingensis Ecclesiæ concordiam, quæ ut feliciter coalescat, tuum fuerit admonere plebeculam mitiorem. Summa gravitate instituetur Coenæ Dominicæ Ceremonia; sic est simplicium in-  
ge-

genium ; ceremoniis opus est, ceu pædagogia ; sublata est hostia Anti-Christi, superest, ut Christi cultus ritè succedat, ne populus sola spiritualis manducationis persuasione, absque omni exercitio torpeat, id quod hactenus factum videmus, cum maleferiati quidam, & totius instituti plane ignari, clamarent, satis esse, sicubi in spiritu & fide edamus carnem Christi, & bibamus sanguinem, panem nihil præstare ad ceremoniam, quasi vero toti in spiritum simus transmutati ; hi mihi videntur inani fiducia tumidi, & ab innocentia, & divinæ substantiæ primiciis plane decidere, nam ingrati & infructuosi sunt, atque otiosi, nescio quas agentis spiritus efficacias comminiscantur, donec crassis etiam peccatis testantur, nihil se habere spiritus, præter inane nomen, cujus torporis auctores sunt, qui vilissime cœnam tractare ceperunt, imo velut rem parum utilem neglexerunt. At ego sentio sola verbi prædicatione non perfici in nobis totum Dei opus ; Typorum ergo in Ecclesia exercitium esse oportet, ob carnis fragilitatem ; carnis molem etiamnum gestamus ; obrepit facile oblivio beneficiorum Dei carnalibus ; torpor & segnicies nostras mentes facile occupant, ut externa illa plane sint frequentanda, quibus velut formetur, vegeteturque spiritus, & divinæ beneficentiæ in nos memoria reficitur, &

& nos, nondum plane spirituales, contineamur in officio. Ad quid hæc tecum? cogit me necessitas, tecum sic fabulari liberius, utpote expertus, quam graviter multi ex negligentia cænæ, malæ securitatis somno obdormierint, qui jam ne pili quidem faciunt synaxin, sic serpsit ut cancer venenatus, quorundam sermo. Quibus nihil aliud in ore est, quam carnivori, panarius Deus, forbilio Deus & id genus impia, ut nobis illi jam velut classico sint evocandi ex lethargo illo, quo rursum Cænæ Domini. eâ quâ decet reverentiâ intersint. Scripsit Theobaldus Billicanus Epistolam de cænâ Domini tibi, ut puto, vilam, quæ sapit Papisticum animum. Ego pro confirmandis fratribus rudioribus aliam scripsi in eodem argumento, contra Missæ sacrificium, cum una legeris alterius scopum, facile intelliges. Hæc erant quæ nunc habebam, Apologiam scripsi ante annum contra tres libros *Eccii* de Missa, quæ ad futuras Nundinas excudetur, in his autem quicquid tuo iudicio displicuerit, ingenue confodito, meque moneto, qui nihil adferre ausim, quod verbo Dei minus fuerit consonum. O felicem Constantiam, quoties ego hujus urbis conditionem gemebundus & lætus considero? Doleo enim vicem Augustæ, & gaudeo, saltem Constantiam resipuisse & pulchrum exemplum edere exteris urbibus, ut ipsæ con-

side-

siderent, quam tutum sit, ante omnia quaerere regnum Dei. Deus te conservet ad aedificationem Ecclesiae, frater optime, tuumque fratrem Thomam, Reip, Constantiensis decus, quem meo nomine officiosissime salutabis. Ora, frater pro me, ne unquam me ab officio & studio pietatis, spiritus ignavia impediatur. Eccii rursus - - - quiete mordacissime nominat in confutata Disputatione Bernensis Ecclesiae. Quaeso frater, si tibi vacat, refelle Eccianas impietates; vel scribe Zuinglio, Oecolampadio, ac Argentinensibus, ut ipsi Eccium tractent dignis modis. Saluta nomine meo Zuikum & reliquos fratres. Augustae die  
 Thoma a. 1528.

J. C. HARENBERGII  
de *Ouorum Paschalium ori-*  
*gine* Commentatio.

ARGUMENTUM.

- §. 1. Definitio & causa huius disquisitionis.  
§. 2. Ouum symbolum æternitatis, creatio-  
nis, resurrectionis, §. 3. Iudaeorum ouum Paschale  
§. 4. Interdictum ecclesiasticum de non comedendis  
ouis tempore Quadragesimali in ecclesia veteri,  
Græca & Latina, necdum, nisi a Protestantibus ab-  
rogatum. §. 5. Signa, ex quibus de eorum origine  
iudicandum est. §. 6. Origo eorum non ex sacris  
Iudaicis, non ex Theologia mystica & symbolica,  
sed ex gaudio, quod ea Paschali tempore rursus edere  
hauerit.

§. 1.

**O**va Paschalia sunt ova, quæ large  
Paschali tempore exorto distri-  
buuntur mutuo cum gaudio, in-  
terdum etiam tinguntur & pia-  
guntur, atque teste Jonstonio de  
Dea Hygiene p. 158. apud Italos sacerdoti bene-  
dicenda offeruntur. Erycius Puteanus in  
Ovi Epanetico p. 423. Ovum, ait, scribi potest,  
pingi potest, tingi potest & nunc flavum, nunc ru-  
brum, nunc cœruleum patrii ritus faciunt. Va-  
ria

riæ interdum ei figuræ ac lemmata inscribuntur, unde die rohten/ gelben/ schönen Eyer vocantur in Saxonia, inque tractu Magdeburgico ac Halberstadiensis a cursu puerorum oua illa colligentium die Kenn-Eyer dicuntur. In primordio Libelli Historico - Ecclesiastici de Paschate Veterum Christianorum Joannes Joachimus HOMBORGIUS, Helmstadii 1683. a se in forma quarta editi quædam ad originem hujus ritus investigandam propria manu ac diligentia carptim ac confuse concinnavit, quæ cum mihi forte in manus venerint, scopo defuncti auctoris satisfacere, lucemque illustriorem, concise tamen, ritui illi scenerari volui.

§. 2. Ova vel sphæras æternitatis fuisse symbola, imo ipsos serpentes caudam ore corripientes eodem spectasse, ex hieroglyphicis & Horo Apolline abunde constat. Nuspiam enim in ovo exoritur initium, nuspiam in terminum coit. Sphærae ejusmodi sæpius in Osiridis, Isis, Jovis aliorumque Deorum manibus obviæ, indubie æternitatem & omnipotentiam designant. conf. Car. du Fresnoie de inferioris ævi numism. p. 15. Achates Tiberianus ex mente Jacobi le Roy explicatus in Actis Erudit. Lips. a. 1684. M. Jan. p. 258. Nova Litteraria Jul. 1721. p. 98. sq. Veteres ad unum omnes hujus uniuersitatis machinam perhibuerunt esse sphericam, ex Chaldaeorum mente æternam & nulli corruptioni ob-

noxiam: ex Aegyptiorum quidem opinione  
 corruptionis participem, sed quæ ad omnem  
 extinguendam fabricam, nihil confert. Stoi-  
 ciane compluresque alii terram sæpius incen-  
 dio deformatam motibusque concussam esse,  
 sed velut ex cinere nouam prodiisse docebant.  
 Ocellus Lucanus, Aristoteles, (a) quem ta-  
 men alii defendunt, Auctor libri de tribus  
 Impostoribus, (b) Spinoza, (c) omnesque  
 Hylotheitæ (d) mundi æternitatem magna  
 cum audacia iuerunt vindicatum. Quæ mi-  
 hi ratio fuisse videtur, quod Gentiles Deis  
 heroibusque demortuis addiderint pilas, oua,  
 sphaeras vel globos. Oua porro creationis  
 generationisque fuisse olim symbola, nemo  
 inficiabitur, nisi qui ignorat in Theologia  
 Phœnicum Aegyptiorumque Deum Theuth  
 vel Thoth ouum ex ore emittere, in delineat.  
 Class. VI. Fasc. V. P p p tio

(a) Vid. Exercitatio Historico-philosophica Ioh. Ge-  
 org. Walchii, de Atheismo Aristotelis quæ est in Parer-  
 gis Academicis eius quinta.

(b) C. I. D. X. secundum Reponse a la Dissertation de  
 Mr. de la Monnoie sur le Traité de III. Impostoribus I.  
 L. R. L. p. 20. 21.

(c) Conf. Bælii Dictionaire sub voce Spinoza, I. F.  
 Buddei Diss. de Spinozismo ante Spinozam & in li-  
 bro de Atheismo, & superstitione I. F. Reimanni  
 Einleitung zur Jüdischen Theologie &c.

(d) e. g. Antwort auf Lucundi de Laboribus Unver-  
 schamtheit/ die er wieder Realem de Vienna vorbringt/  
 Deringen 1714. p. 44. sq. Tolandi Pantheisticon  
 Ateistemon &c.

tionem creationis (e) Macrobi. L. VII. Saturnal.  
c. 16. *In omni genere animantium, quæ ex coitione nascuntur, inuenies ouum illorum esse principium.*  
Virgini nuptæ Iudæi coquunt & apparant  
gallinam & ouum, in signum exoptatæ fecunditatis, vt patet ex *Minhagim tit. Freylöst und שבע ברכות* p. m. 19. Nota est vox Aristotelis: *Omnia ex ouo.* Cui recentiores subscribunt, præsertim inter primos *Harvæus, Kerckringius, Bartholinus,* alique qui & ipsum hominem & omnia animalia, quin omnia corpora viua, ex ouo generari recte statuunt. Sic ex ouo omnia surgunt, quod & resurrectionis fuit symbolum, docente Phil. Picinello in *Mundo Symbolico* L. IV. c. 72. p. 335. sq. v. 674.

§. 3. Iudæis nec oua Paschalia incognita sunt, quæ inter alias friuolas Paschales ceremonias ostendunt ad duritiem cocta, teste Antonio Margarita in libro *der ganze Jüdische Glaube* lit. D. August. Vindelic. 1530. Sie nehmen ein hart Ey/ das solle auf die Opfer-Feste deuten. *Minhagim tit. die erste Nacht vom Pesach* p. m. כג (23) Man wartet bis gen Nacht/ ehe man sich setzet -- Und ein Ey gebraten is (זכר) ein Gedächtniß-Zeichen/ wann Israel seyn zum (רגל) Feste gangen/ daß sie haben ein (קרבת הגירה) Festopfer zum Mahle gebracht und ein (זרוע) Schulterstück gebraten (זכר) ein Andencken zur (קרבת פסח) Oster-Gasbe.

(e) conf. Grot. de *Veritate Relig. Christianæ* L. I. §. XVI. p. m. 25. 26.

be. & p. 73. Man thut das Ey und das Fleisch aus dem Becken/ daß es nit scheint/ als ob man (קדשים) heilige Opfer oder (קרבות) Festgaben machte auffer Jerusalem/ darnach thut man es wieder drein und schencket die Gläser wieder voll Wein/ und thut das Becken vom Tisch/ daß die Kinder tragen sollen/ warum thut man die (מצות) ungesäuerten Kuchen hinweg/ hat man doch noch nit gessen? So antwortet man ihnen/ wir dürfen nit essen/ bis wir loben Gott (יתברך) den Hochgelobten/ der uns auf dieser Nacht viel (ניסים) Wunderzeichen hat gethan. . Joh. Buxtorfius in *Synagoga Iudaica* ead. m. repetit c. 18. p. 407. *Apponitur etiam scutell, in qua armis e tenero agno vel hædo assus, cum ovo indurato, reponitur.* conf. p. 410. 411. 412. Vocant autem illud ouum Chaldaice ביעה ex ביצה. Conf. Tr. Mischnicus חגיגה Donum illud, *Chagigah* dictum, potissimum constitit, secundum Tr. Mischn. *Psachim* c. 6. n. 4. מן הצאן מן הבקר. הכבשים ומן העזים מן הזכרים ומן הנקבות ex grege minorum pecudum, ex armento maiorum, ex ouibus, ex capris, ex masculis & ex foeminis editurque intra duos dies & unam noctem. Nemo erit sanæ mentis, qui nuces, ficus, panem, oua, aliaque palati delicia lætissimo festo Hierosolymis desiderata fuisse, fingere ausus fuerit. Oua vero illa certa ratione Iudæis vesca & licita fiat, oportet, de quibus iterum consulendus Buxtorf. l: c. c. 33. p. 597. 598.

§. 4. Ad inuestigandam ouorum Pascha-  
 lium originem ea porro proferenda sunt, quæ  
 eam a Christianis profluxisse arguunt. Hom-  
 borgius supra excitatus in *Diss. Historico-theolo-  
 gica de Quadragesima Christianorum Veterum* &  
*ritibus in ea usitatis* Helmst. 1677. 4. fuse in xe-  
 rophagiæ Quadragesimalis, a qua & oua ex-  
 cludebantur, ortum inquisiuit, adeo vt cer-  
 tum sit, mox a mortuo Constantino M. ieiu-  
 nia Christianorum in externam tantum dege-  
 nerasse a certis cibis abstinentiam, quod vel  
 ex Chrysostomi inuectionibus Hom. XVI.  
*de adu. Flau.* patet. conf. Arnoldus in *wahrer  
 Abbildung der ersten Christen* L. IV. c. 5. p.  
 496. Quare tandem ex concilii Laodicensis  
 can. 50. apud Grat. in Dec. P. III. de Con-  
 secr. Dist. III. c. 8. eiusmodi decretum Ponti-  
 ficium propositum est: *Non oportet in Quadra-  
 gesima, quarta feria vltima hebdomada ieiunium  
 dissolui & totam Quadragesimam inhonorari, sed  
 per totos hos dies ieiunare & escis abstinentiæ conue-  
 nientibus, id est, aridioribus uti.* conf. quos lau-  
 dant J. A. Fabricius in *Bibliogr. Antiqu.* c. 10.  
 §. 16. p. 332. & Georg. Henr. Goetze de  
*Litteris Butyricis* §. 3. nota 5. Synodus C. Spolita-  
 na sexta, canone 66, clarissime ita: *Similiter  
 accepimus & in Armenorum regione & in aliis lo-  
 cis, in Sabbathis & Dominicis sanctæ Quadragesi-  
 mæ, quosdam oua & caseum comedere. Visum est  
 ergo & hoc, vt omnis Dei Ecclesia, quæ est in uni-  
 uerso terrarum orbe, vnum ordinem sequens, ieiu-  
 nium*

nium perficiat & absteineat. Sicut ab omni ma-  
bili, sic ab ouis & caseo, quæ quidem sunt fructus &  
sæctus eorum, a quibus abstinemus: Si autem hoc  
non seruauerint, si sint quidem Clerici, deponantur,  
sin autem Laici, segregentur. Hic ille est fons,  
vnde ferme a temporibus Gregorii Magni lit-  
teræ Butyricæ, quibus Pontifex Romanus qui-  
busdam, soluta pecuniæ certa summa, ius  
indulget, edendi tempore Quadragesimali  
vel toto vel ex parte butyrum, carnes, la-  
ctinia, oua; qui ritus in hunc vsque diem in  
Romana Ecclesia viget. Testes sunt libellus  
Interim, synodus Tridentina, Taxa Apostolica &  
ipsa praxis. Videatur omnino, quem modo  
laudau, G. H. Goetzel. c. Protestantes, gra-  
uibus sane rationibus moti, hanc a certis ali-  
quamdiu cibus abstinendi consuetudinem re-  
pudiarunt, temperantiam animi & sobrieta-  
tem perpetuam suadentes. Aug. Conf. P. II.  
Art. V. Reinerus, Buchofius, Echtius ad  
Catechesin Palatinam p. 383. Ioh. Tilingii En-  
chiridion disceptationum Theologicarum cum Ponti-  
ficiis ex ipso Jure Canonico Sect. III. §. 196. sq.  
Græca Ecclesia in hunc diem veneratur eum  
ieiunandi ouisque non vescendi antiquum  
morem. De pura vel Melchitica Ecclesia  
conferatur Spanheimius in Elencho Controver-  
siarum p. 469. De Armenis idem tradunt scri-  
ptores apud Jo. Ern. Gerhardum in Dissert. de  
Statu Armenia Ecclesiastico & Politico tam pristino  
quam hodierno c. V. §. 13. De Abessynis id te-  
sta-

Statu lobus Ludolfus in *Historia Aethiopica* L.  
 III. c. 6. n. 81. De Russorum more der jesige  
 Staat von Rußland II. Th. vbi P. II. c. 9.  
 art. 7 p. 445. Sie enthalten sich in diesen Fas-  
 sten öfters/ nicht allein des Fleisches/ sondern  
 auch der Eyer/ Butter und Fische. Oua enim  
 sunt symbola voluptatis, quæ ex Quadragesima  
 exfulare debet, adeo vt ex delineatione Para-  
 disii Muhammedica Alcor. Sur. XXXVII. n.  
 47. 48. Ed. Hinkelm. oculi pulcherrimarum  
 Paradisi puellarum futuri sint *instar oui crusta*  
*eleganter firmiterque obtekti* <sup>5 3 0 5 0 1</sup> *بيض صحنون*

Ignita ova e contrario, doloris martyriique  
 fuere adminiculum, sed quæ ad nostros  
 corymbos hic nil faciunt.

§. 5. Vt igitur originem ouorum Pascha-  
 lium propius intueamur, præmittenda sunt  
 signa, vnde conclusio coniecturalis deriuari  
 queat. Quapropter ex vsu orbis fere totius  
 Christiani repetendum est 1) quod ova Pa-  
 schalia Paschæ statum tempus ament, & 2)  
 lætitiæ sint signum 3) quod soleant dari vel  
 donari, liberis, propinquis, necessariis, pue-  
 ris discurrentibus, susceptoribus susceptisque  
 de fonte sacro, seruis, ancillis, & 4) quod  
 largius solito tum ventri ingerantur vel do-  
 nentur, quam alias, quanto cum sanitatis  
 detrimento, id quidem rimandum erat D.  
 Georgio Francken von Franckenau in *Satyra-*  
*rum Medicarum vigesima de ouibus Paschalibus* 5)  
 quod

quod & cruda & cocta distribuuntur 6) & vi-  
tus sit vniuersalis, Italiae, Galliae, Helvetiae,  
Germaniae, Angliae aliisque provinciis, imo  
Graecis & ipsis Russis familiaris. conf. Olearius  
in *Itinerario* p. 134.

§. 6. Sunt, qui consuetudinis hujus incu-  
nabula quaerunt a Iudaeis, ob ea, quae §. III.  
dedimus; alii deruant ab Ethnicis, uti  
Danhauer in *Evangelischen Denckmahle Ora-  
tione in festo Paschatis* p. 352. Alii a regenera-  
tione telluris verna, cui Astarten olim praefuisse putant, ignibus etiam Paschalibus olim  
venerabilem, quod tamen nemo satis ad li-  
quidum perduxit. H. Reiskius von Rodsyr /  
Oster- und Johannis-Feuer. Car. du Fresne  
in *Glossario Lat.* sub voce *Othan* p. 87. Deam  
etiam Eostre nomine coluisse Germanos, auctor est  
Beda de *Temporum ratione* c. 13. quam eandem  
cum Astarte fuisse plerique censent: sed alia fuit,  
ut opinor, ab *Othan*, etiamsi *Ostar* quibusdam  
nuncupetur. Videntur inde dicti *Easterlingi* quasi  
soboles Orientis secundum Spelmannum & ex  
eo Carolus du Fresne l. c. sub voce *Adelingus*  
p. 59. sed quidni dicerentur illa ab *Osten* /  
quasi *Istevones*? Tempore Paschali vel ver-  
nali, *Ostern* vulgo dicto, omnia revirescunt  
novosque terra induit cultus & honores, qua-  
re Astartes nomen & festum tempus ab *Iside*  
profluxisse videntur, quam & *Trouroth* appel-  
latam fuisse Kircherus in *Panth.* tradit, & Ger-  
manos Suevos alicubi coluisse Tacitus de

*Mor. Germ. c. 9. auctor est. Verum <sup>Asapra</sup> fuit Venus Euseb. Præp. Ev. L. II. p. 38. ed. Colon. 1688. non Luna. Veneris tamen nomen ad ipsam Lunam transiisse non ambigendum est, quarta enim Venus Syria Tyroque concepta, Astarta vocabatur, ut habet Cic. de Natura Deorum L. III. conf. Seldenus de Diis Syris Synd. II. c. 2. p. 244. & Calvör in Saxonia inferiori antiqua & Christiana P. III. L. II. c. 4. §. 46. p. 300. & P. II. L. I. c. III. §. 31. p. 130. J. H. Hottinger de Idolographia V. T. inserta Primitiis Heidelberg. p. 405. sq. Quocirca <sup>Asapra</sup> sive Atheroth cum Eostre convenire videtur, de qua P. Jobert dans Science des Medailles pag. 229. Astarte la Déesse des Sidoniens est sur un Char à deux roues sur lequel elle est placee. Cet ainsi, que l'on la portoit par pais pour amasser de l'argent; l'on ne convient pas ni de son Nom, ni de sa figure. An Deae Eostre eadem tribui possint ambigo. Cui porro Lunus Germanorum der Mondmæ sententiæ obstare videtur, Lunum & Lunam aliis etiam gentibus promiscue appellatum recordetur, conf. Euf. Præp. Ev. L. III. c. 12. Adde quod Luna ipsis Teutonibus instar feminæ culta fuerit, quod de iis testatur Arnkiel in Cimbrischer Zeiden Religion L. I. c. II. §. 1. p. 73. Cæsar de Bell. J. G. VI. c. 21. L. I. c. 50. Tacitus l. c. c. II. Calvör l. c. P. II. L. I. c. 8. Cum vero Esther Persis stellam notet, Pfeiff. Dub. Vexat. Cent. III. c. 18. p. 485. plerimæque Persicæ voces Scythicæ vel Germanicæ*

nicæ originis sint, quid obstat, quo minus Persi-  
cum Starah, Gr. ἀστὴρ, ἀστρον, Ebr. שֶׁטָרַח  
nostrum sit Stern / Luna καὶ ἑξοχὴν, quæ  
proxima & optice maxima terra est. Quare  
cum fecunditas humore adjuta, Lunæ per  
totum fere orbem tributa fuit, quam Sym-  
bolo oui alibi exprimunt, ex cultu Eostra  
forte quis ovorum Paschaliû originem deduxe-  
rit. Sed lunæ religio quovis mense recurrebat  
Cæs. L. I. c. 50. de B. G. nec de singulari ver-  
na solennitate ovorumque delicio heic quic-  
quam certi constat. Nec se offert ulla ratio,  
unde hic ritus tam universalis fuerit factus;  
nec improbable videtur, quod si hæc ovo-  
rum celebritas Astartes cultui affixa fuisset, eam  
Cæsaris Pontificisq; legibus fuisse abrogatam,  
ob eandem comestæ carnis equinæ rationem,  
quam Germanis interdixit Gregorius III. Vid.  
*Keysleri Antiquitates Celticas*, ex recensione  
*Ephemeridum literariarum Paris.* T. 69. p. 269. sq.  
Nec Judaicum ovum ortum ovis Paschalibus  
dedit, pugnat enim cum characteribus su-  
pra allatis 2. 3. 4. 5. erat quippe ad duritiem co-  
ctum, solitarium, symbolum triste Hiero-  
solymæ deletæ abolitorumque sacrificiorum,  
quod ostenditur in memoriam pristinæ lætitiæ  
pueris. Nec video, quomodo Christiani primi  
hunc ritum genio N. T. contrarium tolerassent,  
qui etiam sensim ita in Judæos odio exarde-  
scebant, ut feriacionem Sabbati tolerabilio-  
rem tollerent. Syn. Laod. Can. 29. *judaismo*

caperentur, ut loquitur Ahyto Basil, Ep. in Capit. art. 8. Nil igitur est reliquum, nisi ut ova, tempore Quadragesimali comparfa ac continenter cumulata, Paschæ festo avidius hausta, donata ac distributa fuisse perhibeamus. Abstinencia ab ovis prævia, toto fere orbi Christiano ulitata, characteribus supra datis ex asse respondet. Libertas ovis vescendum quibusvis patuit, omnibus læta, festo resurrectionis lætitiã augente. Quæ sententia eo videtur probabilior, quo major est auctoritas Hospiniani in libro de Origine festor. Christianor. p. 65. qui allatæ conjecturæ suum calculum addit.



XI.

*Fo. Christ. BIEL,*  
*De Levi, Juda Thaddæo*  
 Observatiuncula. (a)

**S**ententiam Tuam, quam nuper (b) egregie probasti, quod Levi, a Christo ad Apostolatum vocatus Judas Thaddæus fuerit, veteribus non incognitam prorsus fuisse, patet etiam ex loco Hesychii, Grammatici Alexandrini, post

(a) Hæc ex literis doctissimi viri ad me scriptis excerpte placuit. T. d. H.

(b) In Bibl. Cl. V. Fasc. III. n. 6. p. 475.

V. *Ἰακώβ*, ubi ita legitur: *Ἰακώβ* Ἀλφαιῦ, καὶ Θαδδαῖου καὶ Λευὶ καὶ τῷ Μάρκῳ, καὶ τῷ Ματθαίῳ Λεββαίου καὶ δὲ Λυκᾶ Ἰσίδας Ἰακώβ. Modo observandum, quod studiosus Christianus, qui hæc, ut multa alia, quæ apud Grammaticum illum extra literarum seriem occurrunt, probabiliter divinante argutissimo Critico, *Richardo Bentlejo*, in Epistola Londini d. 30. Aug. a. 1714. ad me scripta, margini Hesychii sui primum adscripsit, prava postmodum librarii diligentia in contextum recepta, *Jacobum*, *Alphæi filium*, cum *Juda Thaddæo*, fratre ejus, confuderit. Nam *Matth. X, 3.* *Marc. III, 18.* *Thaddæus* a *Jacobo*, *Alphæi filio*, diserte distinguitur. Et de *Juda Thaddæo*, non de *Jacobo*, *Alphæi filio*, adferi potest, quod *Marco* dicatur *Λευὶ*, *Matthæo* autem *Λεββαίου*, & *Lucæ* Ἰσίδας Ἰακώβ. Vid. *Marc. II, 14.* *Matth. X, 3.* *Luc. VI, 16.* Confusio autem in verbis apud Hesychium, si recte auguror, inde enata est. Legisse scriptor illorum alicubi videtur nomina Apostolorum, & post *Jacobum*, *Alphæi filium*, una serie nomen *Thaddei* invenisse, hoc modo: *Ἰακώβ* Ἀλφαιῦ. Θαδδαίου ἔστι καὶ Λευὶ καὶ τῷ Μάρκῳ &c. Itaque posteriora verba, nullam in illis interpunctionem reperiens, non ita accepit, ac si post *Θαδδαίου* distinctio ponenda hac ratione: *Θαδδαίου*, ἔστι καὶ Λευὶ &c. sed potius hunc in modum: *Θαδδαίου* ἔστι, καὶ Λευὶ &c. atque adeo putavit, verba *Θαδδαίου* ἔστι &c. adhuc

Ja-

Jacobum, Alphæi filium describere. Et sic le-  
 viori mutatione illa ad oram Hesychii sui ita  
 apposuit, prout hodie inserta illi legimus. Fa-  
 vet conjecturæ, quod & in laterculo Apосто-  
 lorum, à Cotelerio in Monum. PP. Ap. ad Const.  
 Ap. L. II. c. 63. edito, & abs Te etiam, Vir Er.  
 in Disqu. de Levi a Christo ad Apostolatam vocato  
 p. 504. inde repetito, pariter Jacobum, Alphæi  
 filium, frater ejus Thaddæus excipiat. Ver-  
 ba, quæ cum loco apud Hesychium conferri  
 merentur, ita sese habent:

Ἰακωβὸς Ἀλφαῖς: ἐρμηνεύεται δὲ μαθητὴς ζωῆς.  
 Θαδδαῖος ἄτ' ὡς μὲν τῷ ματθαίῳ λεββαῖος  
 καλεῖται, ὡς δὲ δεκάτῃ Ἰσδὰς Ἰακωβὸς. ὡς  
 δὲ Μαρκῷ Λεββίς, &c.

Sed fortasse malit etiam aliquis dicere, quod  
 apud Hesychium non confusio, sed corruptio  
 statuenda sit, & pro Ἰακωβὸς legendum Ἰσδὰς.  
 Et sic omnia cum Evangelistis conveniunt; ni-  
 si quod in nostris Codd. apud Matthæum non  
 λεββαῖος, sed λεββαῖος legatur, & apud Mar-  
 cum Λεββίς non occurrat tanquam nomen inde-  
 clinabile, sed tanquam declinabile, siquidem  
 Dominus vidisse dicitur Λεββίον τὸν τῷ Ἀλφαίῳ.  
 Unde etiam in laterculo Apostolorum legi-  
 mus, quod Thaddæus Marco dicatur Λεββίς.  
 Quamcunque autem conjecturam de verbis  
 apud Hesychium amplectamur, ille sententi-  
 am Tuam confirmat.

Q U A E S T I O.

Quis sit sensus commatis XIV. Pf. LXVIII. quidque ibi  
 notent שפתיים, ut & באברותיה וּבְכַפָּהּ בְּכַפָּהּ,  
 בִּירְקָק חֲרוּץ;

⋯⋯⋯